




SELECTA POETICA

QVIBVS CONTINENTVR

GE. SABINI PRAECEPTA

OBSERVATIONIBVS

AVCTA

VLRICI DE HVTTEN

EQVITIS FRANCI

ARS VERSIFICATORIA

EIVSQVE NEMO

CLAVDII ESPENCAEI

ELEGIAE SELECTIORES

SAMVELIS RACHELII

CLASSES IMPERATORVM

METRICAE.

COLLEGIT SVAQVE ADIECIT

CARMINA

IO. HENR. ACKER.



RVDOLSTADII,

SVMTV IO. MART. GOLLNERI,

ANNO MDCCXI.




VIRO
EXCELLENTISSIMO CONSVLTISSIMOQVE
IO. BVRCHARDO MENCKENIO
IVRIVM DOCTORI CLARISSIMO
CONSILIARIO ET HISTORIOGRAPHO REGIO HISTORIARVM PROFESSORI MERITISSIMO
IN ACADEMIA LIPSIENSI
SOCIETATIS REGIAE ANGLICANAE SOCIO
POLYHISTORI INCLYTO

PATRONO SVO HONORATISSIMO

FELICITATEM

IO. HENR. ACKER.



VIR EXCELLENTISSIME

PATRONE MAXIMOPERE

HONORANDE.



Vod nobilissimus poetarum in eclogis* cecinit, nullam Phoebo gratiorem esse paginam, quam quae sibi præscripsisset Vari nomen; id de TE, meritis ingens Menckeni, meliore iure adfirmauero. Non equi-

* ecloga VI.

equidem priuabo Varum numero egregii militis, nec triſtiori belli exitu virtutes metiar; in comparatione tamen facile erit ad iudicandum, nomen TVVM eſſe multo acceptius Phoebo. Quid enim Varus egit? Arma viroſque produxit in aciem, quorum ſtrepitus quantum ſapientiae Deo poſſint eſſe in amoribus, conſtat. At TV, Vir excellentiſſime, ſapientiam & ſtudia litterarum amas, quae ceu Phoebi munera a nobis excipiuntur. Neque ſolum amas, ſed & ad illa ducis nobilem iuuentam, & prae ceteris vrgens humanitatis ſtudia, ab aliis ſupine neglecta, ab aliis improbe labefactata, aduerſus obtrectatorum voculas tutaris. Primum igitur gratiae locum apud Phoebum TE occupare neceſſe eſt, & maximopere illi placere ſcripta, quae tam charo ſibi nomine, nullaque vnquam barbaria violato perornantur. Sed quid mihi cum Phoebo commentitio deo? Summo potentiſſimoque numini, praeter quod gentilium dii ceu leues vmbrae

volitant, gratam credo esse paginam, quae nomen TVVM prae se fert. Huic enim magnitudo meritorum TVORVM in Academiam, in quamplurium commoda salutarium prouisio, & tot monimentis clara ac testata diligentia iamdudum probantur. Neque tacendi politi homines, qui in huius rei societatem se offerunt. Mirifice enim TE amant eximiae virtutis contemplatione adducti. Titum Liuium Patauinum * aetas illa, quae virtute pariter atque eruditione florebat, adeo admirata est, vt multi Romam huius viri caussa a Gadibus proficiscerentur. Quot ex academiis & scholis Lipsiam hodie proficiscuntur, vt TE, nostri seculi Liuium inuisant audiantque? Reuersi TE lac musarum, mare tranquillum, animam eloquentiae, historicorum principem, lactea quadam vbertate dictionis facundum, amantem

* Teste Iacobo Philippo Tomasino episcopo Æmoniensi in Tito Liuio Patauino p. 77.

tem virtutum, osorem vitiorum adpellant, quae elogia Tito Liuio Balthasar Bonifacius libro de scriptoribus Romanae historiae * tribuit. Ac ne forte putes haec per adulationem proferri, vtar argumento aliquantisper mutato, quo Cicero Lucceium, celeberrimum historicum laudans, se ab adulationis suspicione defendit: ** *Non vereor, ne adsentatiuncula quadam aucupari TVAM gratiam videar, cum hoc demonstrem. Neque enim TV IS es, qui quid sis nescias, & qui non eos magis, qui TE non admirentur, inuidos, quam eos, qui laudent, adsentatores possis arbitrari.* Neutiquam igitur mirabere, Excellentissime VIR, quod splendidissimo nomini TVO has paginas consecrem. Vehementer confisus sum, & Deo gratiores fore & politis hominibus. Placeant vero & TIBI, & gratae sint, & in bonam partem accipiantur. Neque fere de hoc fa-

a 4 uore

* Teste eodem Tomasino l. c. p, 12.
** Lib. VI. ad diuersos ep. 12, 5, 20.

uore dubito, quandoquidem in pectore TVO sedem sibi cum gratiis humanitas & benignitas videntur fixisse, aliis etiam virtutibus hinc & illinc lucentibus. Et cerno iam faciem ex sereno blandoque fulgentem, probantemque fidi clientis officium ac potius pietatem. Quare nihil amplius a TE peto, quam vt beneuolentiam haud dubiis significationibus declarari coeptam mihi conserues, & praestantes porro libros mittas, ex quorum recensione magis magisque proficiam. Eo enim loco me positum nosti, vbi summa librorum ad elegantiorem litteraturam, & hoc fonte tinctam iurisprudentiam spectantium penuria. In qua necessitate erectis ingeniis vix toleranda constitutos saepius optasse memini, vt & in republica litterata reuiuisceret ius illud pristinum vtendi rebus, quod in ceteris fautrice necessitate Grotius noster * concessit. In ista

ve-

* de iure belli & pacis lib, II, c, 2, §, 5, num, 2.

vero erga me benignitate, ſi, quemadmodum ſpe delector, perſeuaraueris, abſtinere ab hoc voto fas erit, quin potius in eius locum ſubſtituere aliud pro perpetua felicitate TVA. Faxit ergo diuinum ſapientiſſimumque numen, vt, quaecunque terrere poſſunt inimica & aduerſa, a domo TVA quam longiſſime abſint; contra vero cum omnibus TVIS lene otium & dulcis quies TE ſaturet. Vale ſeculi decus & conſtanter faue.



BENEVOLE LECTOR.

CEterarum rerum ſtudia & doctrina & praeceptis & arte, conſtare; poetam natura ipſa valere, & mentis viribus excitari, & quaſi diuino quodam ſpiritu inflari, ſummi eruditiſſimique homines teste, Cicerone * docuerunt. Qui ſi arbitrati ſunt, poetas quosdam per naturam inſtrui cunctis partibus ad poeſin neceſſariis, non repugno; ſi vero nullis plane praeceptis egere, & enthuſiasmo ſeu furore poetico tales fieri ſtatuerunt, quod conſummatiſſimo viro Io. Ge. Graeuio ** viſum, diſſenſionem non diſſimulo, ſed

* *Pro Archia cap, 8.*

** *In notis ad hunc locum, vbi inflari prae Gruteriano adflari tuetur, dicitque propius eſſe ad vim graeci verbi ἐνθουσιάζεσθαι. Commendat etiam in hanc rem Ger. Io. Voſſium de artis poeticae natura c, 12, & & Petri Petiti diſſertationem de furore poetico, & Merici Caſauboni commentarium de enthuſiasmo.*

sed prae me fero. Enim vero quis probaret doctrinam ex absurdo Platonis dialogo * promtam, quemadmodum Mericus Casaubonus elegantissimo de enthusiasmo commentario c, v, docet; aut, quod eminente iudicio & doctrina vir Christianus Thomasius, cautelis circa praecognita iurisprudentiae, c, VIII, §, 26, vult, ex ficto adfecta-

to-

---

* *Inscripto ion, ἢ περὶ ἰλιάδος, vbi omnem poesin ex adflatu immediato, & hoc quidem diuino esse, imo tam carminum lectores, quam auditores certo aliquo gradu esse inspiratos docet. Sed dialogum istum excusare non vult Casaubonus, quippe adeo sine ratione scriptum, vt a nemine philosophorum absurdius quidpiam sit productum. Hinc miratur Iulium Caesarem Scaligerum non fuisse cautiorem in scribendo, & θεοπνέυςȣ vocabulum hic adhibuisse, cum nemo, qui Christianismum profitetur, eiusmodi absurda proferre possit. Et quamuis Homerus vnicum illius dialogi obiectum sit, nullam tamen rationem certam esse, qua credendus sit, vere & reipsa inspiratus, aut supernaturaliter motus. Haec Casaubonus. Adde Parrhasiana tomo primo p. 35.*

toque oraculorum gentilium furore originem ducentem. Adde obseruationum Hallensium part, 5. obseru. 6. §, 4. Quae cum ita sint, quis non miretur, magnos viros informis huius monstri extitisse patronos. Sed quid non faciunt saepe nimio antiquitatis amore? Parum abest, quin gentilismum ipsum e tenebris in lucem euocent, quasi sanctiora diuini numinis oracula ipsis sint oblita. Quid Pomponio Laeto Laurentii Vallae auditori contigerit notum est. Antiquitates tam superstitiose amabat, vt nomen Christianum a Parentibus impositum* cum gentili permutaret, quo & hodienum celebratur. Si quae festorum sollemnia, ceu sunt natalitia Saluatoris, eius resurrectio, & missio Spiritus S. frequentarentur a piis, ipse miser architectabatur, sibi priscam domi re-

* *Vocabatur antea Iulius Sanseuerinus, vide elegantissimam doctissimamque dissertationem de societate Abbreuiatorum, quam edidit Ienae Frid. Hannibal Stempel, vbi plura de hoc Laeto singularia.*

religionem, inque monte Quirinali. vbi secretus a ceteris habitabat, vrbis natalem, palilia, vinalia, apaturia, immo Romulum pro Christo colebat, vt nos docet praefatio C. Peutingeri sermonibus conuiualibus praemissa, quam a Sagittarii ingenio profectam esse ex Frid. Benedicti Carpzouii epistola, fasciculo secundo actorum litterariorum Struuiano inserta p, 119. colligo. Remouemus igitur enthusiasmum illum a sermone praesenti, credimusque poetam & naturae & artis esse opus. Praeclara ingenii vis ac natura prima rari huius operis pars est, complementum arti referimus acceptum, sine qua facilis a recto declinatio & lapsus. Quod vero ad artis praecepta attinet, (de naturae enim habitu iam non loquar,) distrahuntur haec in duo genera. Quaedam prima docent elementa, quaedam progrediuntur vlterius. Ex priore ordine est ars versificatoria Vlrici de Hutten, Equitis Fran-

ci

toque oraculorum gentilium furore originem ducentem. Adde obseruationum Hallensium part, 5. obseru. 6. §, 4. Quae cum ita sint, quis non miretur, magnos viros informis huius monstri extitisse patronos. Sed quid non faciunt saepe nimio antiquitatis amore? Parum abest, quin gentilismum ipsum e tenebris in lucem euocent, quasi sanctiora diuini numinis oracula ipsis sint oblita. Quid Pomponio Laeto Laurentii Vallae auditori contigerit notum est. Antiquitates tam superstitiose amabat, vt nomen Christianum a Parentibus impositum* cum gentili permutaret, quo & hodienum celebratur. Si quae festorum sollemnia, ceu sunt natalitia Saluatoris, eius resurrectio, & missio Spiritus S. frequentarentur a piis, ipse miser architectabatur, sibi priscam domi re-

* *Vocabatur antea Iulius Sanseuerinus, vide elegantissimam doctissimamque dissertationem de societate Abbreuiatorum, quam edidit Ienae Frid. Hannibal Stempel, vbi plura de hoc Laeto singularia.*

religionem, inque monte Quirinali vbi secretus a ceteris habitabat, vrbis natalem, palilia, vinalia, apaturia, immo Romulum pro Christo colebat, vt nos docet praefatio C. Peutingeri sermonibus conuiualibus praemissa, quam a Sagittarii ingenio profectam esse ex Frid. Benedicti Carpzouii epistola, fasciculo secundo actorum litterariorum Struuiano inserta p. 119. colligo. Remouemus igitur enthusiasmum illum a sermone praesenti, credimusque poetam & naturae & artis esse opus. Praeclara ingenii vis ac natura prima rari huius operis pars est, complementum arti referimus acceptum, sine qua facilis a recto declinatio & lapsus. Quod vero ad artis praecepta attinet, (de naturae enim habitu iam non loquar,) distrahuntur haec in duo genera. Quaedam prima docent elementa, quaedam progrediuntur vlterius. Ex priore ordine est ars versificatoria Vlrici de Hutten, Equitis Franci

ci, quam vir maxime perſpicaci acutoque iudicio Io. Iacob Syrbius, Profeſſor Ienenſis nobiſcum communicauit, cuiusque vitam obſeruationes Hallenſes, locuples maſculae eruditionis theſaurus exponunt. Ex poſteriore praecepta de carminibus ad veterum imitationem artificioſe componendis GEORGII SABINI optimi poetae, quem Ioach. Camerarius tenera adhuc aetate lacrymas profundentem vidit ad lectionem boni & elegantis carminis. Vita Melanchthonis. §, LXI. Coniuncte haec edimus in vſum noſtrae iuuentutis, & Sabinianiana quidem obſeruationibus aucta. Equidem non ignoramus Io. Schofferum * notis illuſtraſſe, ſed nec de illis aliquid nanciſci potuimus, nec quis fuerit comperire, donec ingenio & induſtria clariſſimi Iunckeri narratio de Isnacenſi bibliotheca doceret, fuiſſe Profeſſorem Francofurtenſem ad Viadrum ex Tyrige-tis

* *Videatur Petri Lotichii bibliotheca poetica parte III, p, 98.*

tis oriundum p, 23. His comites ſociasque adiunximus ſelectiores elegias Claudii Eſpencaei, cuius genus morum nobilitate & ſummis in rempublicam litterariam meritis illuſtratum deſcripſit diligentiſſimus Rollius in bibliotheca Theologorum nobilium. Nihil hic perituris amoribus loci, quibus noſtri ſeculi carmina deturpantur; ſed omnia ſancta, recta & elegantia, vt exemplorum vice ob oculos eſſe poſſint. Rachelii claſſes imperatorum ex otio Nouiomagenſi promtae parum ſeruient quidem poeſi, plurimum vero valebunt ad ſeriem imperatorum non modo animo complectendam, ſed & tenacius retinendam. Proludimus his tractandis per hoc ſemeſtre laboribus & Caeſarum hiſtoriam expoſituri, claſſes in anteceſſum damus. Noſtra carmina haud multum additura ſarcinulae ponderis ad calcem extare patiaris, beneuole lector, & obſeruantia colere magnas virtutes & dignitates. Tu vero, qui optima in-

inſtituta inuidioſe criminaris, lege epiſtolam ſummi olim Polyhiſtoris, Frid. Bened. Carpzouii ad C. Sagittarium, quam celeberrimus vir, & de nobis optime meritus Burchard. G. Struuius faſciculo ſupra laudato exhibet, vbi de his, qui aliorum ſcripta edunt, ita iudicat: *Satius ſane puto, veterum commentationes eruditae haud permittere vt intercidant, verum iteratis editionibus eas ab interitu vindicare, quam ſuperuacaneis libris nouis condendis famam accupari. Quocirca ſemper eorum inſtitutum placuit, qui praeclaros veteres libellos ſeruare ſtudentes, eos praelo iterum ſubiiciunt, ciuicam a Republica litteraria coronam meo iudicio meriti.*

GE.



GE. SABINI PRAECEPTA
DE CARMINIBVS COMPONENDIS

OBSERVATIONIBVS AVCTA.



Erſus ipſo quaſi orationis cantu ad omnem & aurium voluptatem & animorum motum componi debent. Eſt enim Poetica quaedam Muſicae ſpecies: & ſicut Muſicis in cantu, ita Poetis in carmine elaborandum atque enitendum eſt, vt omni ſono permulceant. Componere autem verſus ad hunc modum ſummi eſt artificii, quo Poeta a verſificatore internoſcitur. Nihil eſt enim neque faſtidioſius aurium ſenſu, vtpote qui iniucundo vel verbo vel ſono facile offenditur: neque difficilius, quam ad motum animorum accommodare orationis harmoniam. Non ſunt igitur verſus ſubito ingenii impetu fundendi, vt nonnulli putant: ſed arte formandi, & acri iudicio elaborandi ſunt: ſtylus ſaepe vertendus eſt: vt inde etiam nomi-

natos esse versus, perhiberi posse videatur, quod dum fiunt, varie huc atque illuc vertantur. Ac quanquam ingenii impetus non est nimium retardandus anxia elocutionis & compositionis cura: tamen cohibenda est praecipitantia: ad hanc enim adsuefacti, plerumque effutiunt versus neruis & spiritu carentes: nec tam assequuntur facilitatem, quae in versu commendatur, quam futilitatem, qua nihil est in omni oratione odiosius. Hac de caussa Horatius

Omne (inquit) carmen reprendite, quod non
Multa dies & multa litura coercuit, atque
Perfectum decies non castigavit ad vnguem.

Sic Virgilium Maronem elaborasse versus accepimus: qui propterea dicere solitus est, se vrsino more carmen gignere, lambendoque effingere. Huius exemplum imitari debent, qui in hoc genere studii versantur: totisque ingenii viribus eniti, vt quos ipsi gignunt versus, etiam arte forment atque perficiant, quantum possint.

DE VERBORVM DELECTV.

AVres inprimis delectantur & elegantia sermonis & suauitate composi-

tionis. Elegantia sermonis sita est in verbis ac formulis loquendi, ab optimis autoribus vsurpatis: in quibus tamen delectus etiam habendus est. Neque enim omnia verba, quae vsu recepta sunt, eandem habent gratiam & venustatem. Ac Poetae vtuntur peculiari quadam phrasi: habent enim suas quasdam formulas ab Oratoribus diuersas: quippe vbi Orator dicit, adferre calamitatem, accipere beneficium, dissipare opes, tradere filio vxorem: Poetae dicunt, ducere fata, obsequium ferre, dilaniare opes, sumere nurum. Deligenda sunt igitur verba illustria & Poetarum propria, in quibus verbis inest plenum quiddam ac sonans, vt Marcus Crassus apud Ciceronem docet. Nam in versu, quantum fieri potest, singula debent esse ad sonum exquisita. Nec recte iudicat Viues de ratione dicendi, vbi scribit, carmen non modo recipere omne & verborum & locutionis genus, verum etiam tegere, adeo vt verba antiquata & nouata, ac phrasis dura atque horrida, minus notabilia sint in oratione numeris astricta, quam soluta.

At contra omnino fugienda sunt Poetis verba sordida, nisi ad argumentum necessario requirantur. Sordida sunt, non tantum quae a sordidis & inquina-

tis rebus ſumuntur: ſed etiam quae humiliora ſunt, quam vt exprimant dignitatem rei ſignificatae. Eiusmodi enim verba deformant verſum, non aliter ac maculae precioſam veſtem. Nec temere haec admoneo, quia apud autores etiam probatos reperiuntur interdum verſus inquinati verborum ſordibus. Martialis libro decimo in epigrammate non ineleganti, vtitur verbo ſatis humili ac ſordido, vbi lucem ſerenam vocat ſine fece diem. Item Baptiſta Mantuanus in Parthenicis, vbi inquit, mens pertaeſa cloacam corporis.

Vitanda ſunt item graeca vocabula, quamuis latinitate donata: niſi ſint vſurpata a Poetis maxime probatis, ac inprimis a Virgilio & Ouidio. Nec imitandi ſunt autores apud quos extant carmina graecolatina, qualia ſunt haec;

Qui ioca παντοδαπῆ nouit tractare παλαιςῆ.
καὶ minus in ſumtum δαπάνας leuis arca miniſtrat.

Nam eiusmodi carmina videntur minus ridicula, quam haec, quae apud Italos vulgo macaronea dicuntur;

Si tibi dens caderet quoties fers ore boſiam,
Iam tua non poſſet pane ganaſſa frui.

Extant tamen eruditorum etiam in hoc genere luſus, vt Auſonii & quorundam etiam recentiorum.

Abſti-

Abſtinendum eſt itidem ſpurcis & obſcoenis vocabulis: nulla enim re honeſtorum hominum aures atque animi tam offenduntur, quam obſcoenitate verborum. Nec parum refert, admoneri hac de re adoleſcentes, cum multi ex verſificatoribus adeo inſaniant noſtro tempore, vt turpiſſima quaeque vocabula ex Satyricis Poetis excerpant, quae ſuis intexant carminibus, tanquam inſignia ornamenta. Horum verſibus, nihil eſt, ne lutum quidem lutulentius.

Quae vero ſine turpitudine nominari nequeunt, periphraſi efferenda ſunt: quemadmodum & ea, quae videntur ſordidiora. Sic Petrus Bembus in carmine iocoſo, vbi facit loquentem obſcoenum cuſtodem hortorum, vocat mentam puſillam, membrum illud, quod natura corpori affixit procreationis cauſſa. Sic Iacobus Sanazarius, partem poſteriorem verendam, non minus venuſte quam verecunde circumlocutus eſt his verbis, Vnde prodeunt aurae, quae de Sabaeis meſſibus nihil ſpirant. Et Virgilius, vbi de conceptione equarum loquitur, vt rem parum ſpecioſam dictu, honeſtius exprimat, aruum genitale vocat, naturam equinam.

Caeterum, verba maxime illuſtria, ſunt, quae vocantur translata: haec teſte Cicerone, tanquam ſtellae lucent atque illuſtrant orationem: nec tantum aures oblectant, ſed etiam animum mouent ac ducunt. His igitur potiſſimum illuminandi ſunt verſus, nec immodice tamen: ſed ita quemadmodum fieri in pictura ſolet, vt vmbris etiam relinquatur locus, quo magis id quod eſt illuminatum, extare atque eminere videatur. Nam multa etiam in verſu efferenda ſunt proprie: ac quemadmodum illa Nais Virgiliana

Pallentes violas & ſumma papauera carpens,
Narciſſum, & florem iungit bene olentis anethi;
Tum caſia, atque aliis intexens ſuauibus herbis,
Mollia luteola pingit vacinia caltha;

ſic immiſcere translatis propria debemus, nec ſemper vti eodem flore eloquentiae.

DE STRVCTVRA VERBORVM.

Compoſitionis ſuauitas conſiſtit partim in ſtructura qua dictiones inter ſe coagmentantur: partim in collocatione epithetorum: partim etiam in concinnitate pedum, numerorum, membrorum & figurarum: de quibus ſingulis ordine dice-

dicemus. In ſtructura ſeu coagmentatione vitanda ſunt, quae ſonum efficiunt hiantem & confragoſum: vt concurſus vocalium, aſperitas conſonantium, ac ſimilitudo litterarum vel ſyllabarum. Iungenda ſunt igitur verba molliter & apte, vt ſine hiatu & aſperitate copulentur: ſicut haec inter ſe iuncta ſunt:

Impiger Aenea volitantis frater amoris.

Hic enim nihil eſt durum aut confragoſum.

Concurſus tamen earundem vocalium minus inſuauis eſt: ac prae ſe fert quandam grauitatem coniunctam cum lenitate, vt apud Virgilium:

Ille ego qui quondam.

Item:

Ipſi intus dextra ac laeua pro turribus aſtant.

Saepe etiam diuerſae vocales habent ſuaue quiddam, cum non copulandi nenecesſitate, ſed implendi ſoni gratia concurrunt, vt in his verſibus;

Primus init bellum Tyrrhenis aſper ab oris
Contemtor diuum Mezentius, agminaque armat.

Poterat enim Virgilius hic dicere agmen & armat, niſi iudicaſſet numerum hiatu fieri hoc loco pleniorem.

Nec aſperiores conſonantes ſemper vitandae, ſed interdum arte conquiren-

dae ſunt ad res axaſperandas, & ſimili ſono exprimendas, ſicut a Virgilio factum eſt in hoc verſu:

Nunc rapidus retro atque aeſtu reſoluta reſorbet Saxa.

Hic ſingulae dictiones conſtant litteris aſperioribus, quibus exprimitur fluctus & fremitus æſtuantis maris tam artificioſe, vt quaſi auribus percipiatur.

Similitudo quoque litterarum, vel ſyllabarum non ſemper vitanda eſt: nam interdum apta litterarum vel ſyllabarum alluſio, aures afficit voluptate, vt in hoc verſu Virgiliano:

Auia tunc reſonant auibus.

Neque eſt adeo ridiculus, vt grammaticis quidem videtur, ille verſus Ciceronis:

O fortunatam natam me conſule Romam.

Habet enim alluſionem iucundam auribus non ineruditis: qua Eraſmus Roterodamus delectatus compoſuit dialogum, qui inſcribitur Echo, ad cuius imitationem olim luſi carmen, quod exempli cauſſa, qualecunque eſt, huc aſcribendum duxi.

Dic mihi, Nympha cauis habitas quae vallibus ECHO,
Semicaper Faunus cur ita clamat? ECHO amat.

Quae tamen illa, furit cuius male sanus amore?
Diuitis an Codri filia Nais? ECHO, ais.
Est opulenta quidem, sed turpibus obsita rugis,
Debuit hanc bifrons ducere Ianus. ECHO,
anus.
Candida me vero Thaumantias vrit amantem,
Cuius forma decens & generosa? ECHO, ro-
sa.
Huius amore flagro: sed dic resonabilis ECHO,
Quae res ergo graues sunt in amore? ECHO,
morae.
Ver est conueniens blandis & amoribus aptum,
Vere nouo sponsum me fore reris? ECHO,
eris.
Interea gelidis in vallibus ipsa valeto:
Vox tua saepe mea voce sonabit. ECHO,
abit.

Est autem haec resonantia non modo elegans, sed latinae etiam linguae propria, id quod frequens vsurpatio indicat, vbique enim sunt obuia exempla.

DE EPITHETIS.

VErsus absque epitheto nudus est, & velut incomtus. Crebra igitur epitheta intexi debent, non tamen otiosa, sed ex intima ratione ac natura rei depromta. Quae duriora aut prolixiora sunt compositionem reddunt insuauem: vt haec, tonantisonus, stellimicans, & similia.

Venuste autem collocantur epitheta, ante ipsa (vt vocant) subiecta: praesertim ita, vt quadam vicissitudine cum illis iungantur hoc modo:

Vecta est frenato coerula pisce Thetis.

Nec minus habent gratiae, cum per interiectas orationis partes a subiectis separantur, permanente tamen eadem vicissitudine, vt in his versiculis Ouidianis:

Clauda quod alterno subsidunt carmina versu.

Illud quoque non caret venustate, cum epitheton collocatur in principio carminis, & nomen cui epitheton attribuitur in fine, vt:

Puluerulenta coquit maturis solibus aestas,
Praecipitem Oceani rubro lauit aequore currum.

Quae collocationis forma & in binis versibus est longe venustissima, vt apud Virgilium:

Nigra velut magnas domini cum diuitis aedes
Peruolat, & pennis alta atria lustrat hirundo.

Item apud Ouidium:

Fertilis assiduo si non renouetur aratro,
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.

DE CONCINNITATE PEDVM MEMBRORVM ET NVMERORVM.

IN compositione metri, nihil est elegan-

gantius, nihil concinnius, quam si pedes inter se quasi catena quadam colligantur, vt in his pentametris:

Plena verecundi culpa pudoris erat.
Alta puellares tardat arena pedes.
Longa laboranti furca tulisset opem.
Ista Clytemnestra digna querela fuit.
Saepe simultates ira morata facit.
Aegra superposita membra fouere manu.
Nostra verecundo vota pudore carent.

Item in Hexametris:

Troia iacet certe Danais inuisa puellis.
Arte citae veloque rates remoque reguntur.

Sed non oportet omnes versus esse vniformes, ne similitudo, quae (vt inquit Cicero) est mater satietatis, afferat fastidium. Quapropter non semper retinenda, sed saepe immutanda est haec forma, tametsi sit elegantissima. Interdum ergo laxanda sunt vincula quibus pedes constringuntur.

Laxari autem commodissime possunt, ante secundum & sextum pedem, vt:

Mintius & tenera praetexit arundine ripas,

Nam solutio his duobus locis vix animaduertitur.

Laxantur item vincula non raro ante quintum pedem, vt:

Fingit iter Lemnon, veniunt ad foedus amantes.

Ni-

Nimia tamen ſolutio vitioſa eſt, qualis haec:

Romae moenia terruit impiger Hannibal armis.

Nam hic verſus, etſi conſtat verbis ſonantibus, tamen nimia ſolutione tanquam deficiente halitu amittit, quicquid habet ſonorum : ac maxime in priore parte: nam in poſteriore minus id ſentitur, vbi continua ſolutio interdum accidit ipſis auribus non ingrata, propter varietatem, vt:

Horreſcit ſtrictis ſeges enſibus, aeraque fulgent.

Ipſae autem voces, ſiue multarum, ſiue paucarum ſyllabarum fuerint, quo maiore cum gratia continuentur, accommodari rebus, & ſatisfacere affectibus debent. Idcirco natura pedum & vocum conſideranda eſt diligenter. Spondei, ſunt natura graues ac tardi. Horum continuatio, apta eſt querelis & lamentationibus : nimia enim grauitate redduntur numeri ſubtriſtes, maxime vero gaudent ſpondei vocibus monoſyllabis aut binis aut ternis. Nam & harum continuatio tarditatem auget : & in lamentatione ſingultus quaſi quoſdam refert, vt apud Virgilium:

Tum demum admiſſi ſtagna exoptata reuiſunt,
Me me aſſum, qui feci, in me conuertite ferrum,
Non haec o Palla &c.

Spon-

Spondei itidem rebus arduis & grauibus exprimendis idonei sunt, praesertim si foueantur vnius syllabae vocibus, aut continuis, aut permistis, vt apud eundem Virg.

Illi inter sese multa vi brachia tollunt.
Vix illud lecti bis sex ceruice subirent.

Hic enim continui spondei mira tarditate & grauitate exprimunt, in altero versu magnitudinem saxi a Turno sublati: in altero magnitudinem laboris, quo Cyclopes in fabrica Vulcani exercentur ad incudem: eamque tarditatem augent monosyllabae voces, quarum compositio per se tarda est: eo quod transitus a dictione ad dictionem, affert moram.

Contra dactyli, properationem atque hilaritatem quasi quandam prae se ferunt, pluriumquae syllabarum dictionibus fiunt volubiliores. Hi continuandi sunt, cum aliquid explicandum est, aut iucunde, vt apud Virgilium:

Pone metum Cytherea manent immota tuorum
Fata tibi.

Aut festinanter, vt:

Turbati fugiunt Rutuli, fugit acer Athinas:
Quadrupedante putrem sonitu quatit vngula campum.

Item:

Item:

Conuellimus altis
Sedibus, impulimusque: ea lapsa repente ruinam
Cum sonitu trahit, & Danaum super agmina late
Incidit.

Hic omnes fere pedes constant vocibus polysyllabis, suntque dactylici: quorum tanta est volubilitas, vt ipsam & fugae celeritatem & ruinam impulsae turris, anteuertere videantur.

Ergo vtrumque praestandum est, vt mutetur forma versuum, & rebus accommodetur. Ea vero mutari potest, non tantum varietate pedum ac dictionum: sed etiam orationis periodo: eiusque partibus, quae incisa & membra nominantur. Nam interdum integer versus periodo inclusus, perfectam & absolutam sententiam vno membro comprehendit, vt:

Sicilides Musae paulo maiora canamus.

Aut sesquialter, vt:

Inde lupae fuluo genitricis tegmine laetus
Romulus excipiet gentem.

Item:

Nec circumfuso pendebat in aere tellus
Ponderibus librata suis.

Aut bini versus integri, vt:

Tytire tu patulae recubans sub tegmine fagi,
Siluestrem tenui musam meditaris auena.

Item:

Item:

Hospita Demophoon tua te Rhodopeia Phyllis
Vltra promissum tempus abesse queror.

Aut bini cum dimidio, vt apud Catull.

Scilicet in vario ne solum limite coeli,
Ex Ariadneis aurea temporibus
Fixa corona foret.

Apud Virgilium & Ouidium, cum periodus vnius membri vltra binos versus excurrit, ne longior continuatio obtundat aures, plerumque Dialysis seu parenthesis intexitur, vt:

Non iaculum (neque enim iaculo vitam ille dedisset)
Sed magnum stridens contorta phalarica venit
Fulminis acta modo.

Item:

Pace tua (si pax vlla est tua Pontica tellus
Finitimus rapido quam terit hostis equo)
Pace tua dixisse velim.

Aut terni versus, vt apud eundem Ouidium:

Languor & immodici nullo sub iudice somni,
Aleaque & multo tempora quassa mero,
Eripiunt omnes animo sine vulnere vires.

Item:

Pone metum valeo: corpusque quod ante laborum
Impatiens nobis inualidumque fuit,
Sufficit atque ipso vexatum induruit vsu.

Qui

Qui quidem terni verſus, etſi periodo includuntur, tamen non plane vnius membri continuatione conſtant, neque enim vnicum membrum tam longe produci poteſt ſine offenſione aurium: niſi apte interponantur circuitionum particulae, quibus interpoſitis longiſſime extendi periodus poteſt, vt apud Virgil. in Georg.

Quid faciat laetas ſegetes: quo ſidere terram
Vertere Mecoenas, vlmisque adiungere vites
Conueniat: quae cura boum, quis cultus habendo
Sit pecori, atque apibus quanta experientia parcis,
Hinc canere incipiam.

Item:

Vos o clariſſima mundi
Lumina, labentem coelo quae ducitis annum,
Liber & alma Ceres, veſtro ſi munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutauit ariſta,
Poculaque inuentis Acheloia miſcuit vuis:
Et vos agreſtum praeſentia numina Fauni:
Ferte ſimul, Faunique pedem, Dryadesque puellae,
Munera veſtra cano.

Interdum etiam nulla periodo circunſcribuntur verſus, ſed carpuntur membris minutioribus, vt apud Ouidium:

Poma dat autumnus, formoſa eſt meſſibus aeſtas,
Ver praebet flores, igne leuatur hiems.

Apud

Apud Ioannem Campanum:

Pauper erat, fieri vult diues, cogitat vnde,
Vendidit vxorem Nentius, emit agrum.

Apud Virgilium:

Marsa manus, Peligna cohors, festina virum vis.

At vero periodica verborum continuatio maxime probatur in versibus, praesertim tunc, vbi aures aliquid fusius desiderant quo expleantur, vt in exordiis, in amplificationibus, & in conclusionibus. In hac continuatione imprimis includendi sunt versus sedati, molles & blandi, qui enim placide ac leniter quasi fluunt, longiore orationis ductu sustinendi sunt. Acres vero & ardentes versus, magna ex parte debent esse concisi, & in membra distracti, quales sunt in contentione inter Turnum & Drancem, apud Virgil.

Pone animos, & pulsus abi, sat funera fusi
Vidimus, ingentes & desolauimus agros.

Item:

Possit quid viuida virtus
Experiare licet, non longe scilicet hostes
Quaerendi nobis, circumstant vndique muros.
Imus in aduersos, quid cessas? an tibi mauors
Ventosa in lingua.

His itaque & similibus, vocum, pedum, circuitionum, membrorumque commutationibus, facile effici potest, ne versus sint vniformes: sed vt induant

diuersum quasi habitum, rebus accommodatum, vtque affectibus exprimendis satisfaciant.

DE FIGVRIS QVIBVSDAM.

ADhibendae sunt etiam figurae, nam & hae faciunt varietatem, & sine his, versus caret gestu. Nulla autem figura plus varietatis adfert, quam iteratio, eaque habet locum, vbi feruet oratio, vel adseueratione, vel obtestatione, vel dolore, vel simili affectu. Ac inprimis iucunda est iteratio initii, qualis haec apud Angelum Politianum;

Semper erit magni decus immortale Maronis:
Semper inexhaustis ibunt haec flumina venis:
Semper ab his docti ducentur fontibus haustus:
Semper odoratos fundent haec gramina flores.

Et apud Ouidium:

Hoc tenuat dentem terram findentis aratri:
Hoc rigidos silices, hoc adamanta terit.
Hoc etiam saeuas paulatim mitigat iras:
Hoc minuit luctus moestaque corda leuat.

Et apud Tibullum:

Quam cito purpureos amittit terra colores:
Quam cito formosas populus alta comas.

Sed haec iteratio initii apud elegiographos etiam pulcre variatur alternis versibus, vt apud Ouid.

Omnia

Omnia naturae praepostem legibus ibunt,
Parsque suum mundi nulla tenebit iter.
Omnia iam fient, fieri quae posse negabam;
Et nihil est de quo non sit habenda fides.

Item:

Tempore ruricolae patiens fit taurus aratri,
Praebet & inuito colla premenda iugo.
Tempore paret equus lentis animosus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos.
Tempore Poenorum compescitur ira leonum,
Nec feritas animo quae fuit ante manet.

Item:

Ecce super fessas volitat victoria naues,
Tandem ad Troianos diua superba redit.
Ecce mihi lucent Rutulis incendia castris,
Iam tibi praedico barbare Turne necem.

Item:

Ah quoties illo vitulum gestante per agros,
Dicitur occurrens erubuisse soror.
Ah quoties ausae, caneret dum valle sub alta,
Rumpere mugitu carmina docta boues.
Saepe duces trepidis petiere oracula rebus,
Venit & e templis irrita turba domum.
Saepe horrere sacros doluit Latona capillos,
Quos admirata est ipsa nouerca prius.

Est & alia iteratio seu repetitio initii, cum pentameter versus definit in easdem voces, vel duas vel plures, a quibus hexameter incipit, vt apud Ouidium:

Phoebus adest, sonuere lyrae, sonuere pharetrae,
Signa Deum nosce per sua, Phoebus adest.

Item:

Militat omnis amans, & habet sua castra Cupido,
Attice crede mihi, militat omnis amans.

Item:

Ilia pone metus, tibi regia nostra patebit,
Teque colent omnes, Ilia pone metus.

Item:

Graia iuuenca venit, quae te patriamque domumque
Perdat, Io prohibe, Graia iuuenca venit.

Item:

Nullus erat, referoque manus, iterumque retendo,
Perque torum moueo brachia, nullus erat.

Et apud Ianum Pannonium:

Frigus & humor agunt, vt vexent corpora morbi,
Vt nata intereant, frigus & humor agunt.

Item:

Culpa tua est, quicquid fecit Tithonia coniunx,
Quicquid & Aeetae filia, culpa tua est.

In hoc genere versificatores saepe ineptiunt. Nam id bellum quidem esse vident, sed scite vsurpare nequeunt.

Huic iterationi cognata est, quam epanalepsin vocant, nempe cum eiusdem carminis vel heroici vel pentametri initium ac finis idem est, vt:

Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa,
Ambo florentes aetatibus, Arcades ambo.
Ante etiam sceptrum Dictei regis & ante.
Victus amore tui cognato sanguine victus.
Hunc κύκλον vocant Grammatici.

Item;

Culpa tua est, quamuis haec quoque culpa tua est.

Baptista Mantuanus Epanalepsin non inuenuste locupletauit iterato quoque initio sequentis versus heroici, vt:

Arma sacerdotes animis flagrantibus arma,
Arma fremunt.

Praeterea est quaedam initii & finis iteratio acrimoniae & venustatis plena, quam Rhetores complexionem vocant, ea fit in hunc modum, vt apud Ianum Pannonium in querela Italiae ad Fridericum III. Imperatorem.

Quod cessat Phoebaea chelys, quod carmine rupto
Aoniae siluere deae: Mars impius egit.
Quod spretis audax musis petit arma iuuentus,
Et volucres premere audet equos: Mars impius egit.
Quod cernis nullum deserta per oppida ciuem,
Nec campis errare greges: Mars impius egit.
Quod ligo, quod vomer, quod sarcula, rastra, bidentes,
In gladios abiere truces: Mars impius egit.

 Ve-

Venusta est quoque iteratio vbi posterior pars pentametri est initium sequentis hexametri, vt apud Ouid.

Vt mihi sint toties maxima vota mori,
Vota mori mea sunt.

Aut vbi dictio, quae claudit praecedentem versum hexametrum, inchoat sequentem, vt:

Atque omnibus vni
Vni odiisque viro telisque frequentibus instant.
Iuuenum pulcerrimus Astur,
Astur equo fidens.
Pierides vos haec facietis maxima Gallo,
Gallo cuius amor.

Simplex iteratio est, sed plena venustatis, cum idem verbum saepius repetitur, vno atque altero verbo interiecto, vt apud Virgilium:

Restant bella aspera restant.
Quibus ille viros quibus excitat vrbes.

Et apud Ouidium:

Fuit ab fuit vtile tecum
Ire mihi.
Hoc si crimen erit, crimen amoris erit.
Ipse tuus custos, ipse vir, ipse comes.
Vna fides, vnus lectus, & vnus amor.
Conuenit illa mihi, conuenit illa tibi.
Altera tela arcus, altera tela faces.

Ad iterationem pertinet & Epanodos, seu regressio, quae fit hoc modo:

Compulerantque greges Corydon & Thyrsis in unum:
Thyrsis oues, Corydon distentas lacte capellas.
Iphitus & Pelias mecum, quorum Iphitus aeuo,
Iam grauior, Pelias & vulnere tardus Vlyssis.

Est & traductio iterationi affinis, quae repetit idem vel nomen mutato casu, vt apud Virgil.

Littora litteribus contraria, fluctibus vndas
Imprecor, arma armis.

Et apud Lucan.

Pila minantia pilis.

Et apud Ouid.

Aemonis Aemonio Laodamia viro.

Vel verbum mutatis modis ac personis, vt apud Virg.

Est bene non potuit dicere, dixit, erit.

Et apud Ouidium:

Et tibi si non vis parcere, parce mihi.
Qui poterit sanum fingere, sanus erit.
Certa fui, certi si quid haberet amor.
Caussa fuit multis noster amoris amor.
Quam sine te cogis viuere, coge mori.

Elegantissima est in hoc genere quasi πλοκὴ, nam & artificiosa haec forma est, & sententiosa, vt:

Si, nisi quae facie poterit te digna videri,
Nulla futura tua est, nulla futura tua est.

Scribunt Sappho Poetriam, hac figura traductionis fuisse consecutam, quicquid laudis in carmine habuit. Porro in-

inter insignia schemata, quibus carminis forma exornatur ac veluti coloribus distinguitur, articulus quoque & Polysyndeton numerantur. Articulum vocant, cum singulae voces interuallis distinguuntur, caesa oratione hoc modo:

Pastor, arator, eques, paui, colui, superaui,
Capras, rus, hostes, fronde, ligone, manu.

Polysyndeton figura est articulo contraria, cum in versu multae coniunctiones ponuntur, vt:

Terrasque tractusque maris, coelumque profundum.

Vitanda sunt tamen in articulo similiter desinentia, vt:

Paui, colui, superaui.

Aut similiter cadentia, vt apud Ennium:

Moerentes, flentes, lacrimantes & miserantes.

Quae enim similibus aut verbis aut casibus efferuntur, minus habent venustatis in carmine.

Sed haec de figuris hactenus: neque enim visum est persequi exornationes omnes, sed indicare tantum illustriores.

DE

DE QVIBVSDAM VITIIS PENTAMETRI.

IN pentametro verſu tempeſtiuae caeſurae eſſe debent, vitanda eſt igitur in medio continuatio carminis dura & hiulca, qualis haec apud Catull.

Munera quae & Muſarum hinc petis & Veneris.

Item:

Troia virum & virtutum omnium acerba cinis.

Nec imitanda ſunt omnia quae a Catullo vſurpantur. Nam vt apud Ennium, ita & apud Catullum multa ſunt horrida, & imitatione indigna. Extat apud Martialem elegans epigramma, quo irridentur hi, quibus verſus iſtorum ſimiles probantur. Eſt autem epigramma ſcriptum in quendam Chreſtillum:

Carmina nulla probas, molli quae limite currunt,
Sed quae per ſalebras altaque ſaxa cadunt.
Et tibi Maeonio quod carmine maius habetur
Lucili, Columella, hic ſitus Metrophanes.
Attonitusque legis terrai frugiferai,
Actius & quicquid Pacuuiusque vomunt.

Ridiculi igitur iudicandi ſunt qui tales verſus admirantur, cumque propter

ingenii imbecillitatem nequeunt assequi concinnitatem Ouidianam, sese conferunt ad imitationem Catulli.

In fine Pentametri vitanda sunt participia, vt:

Ore nitens, corde tremens.

Eodem in loco rarissime vsurpandae sunt voces, duabus syllabis longiores. Nam dissyllabae semper venustius claudunt pentametrum quam vel trium vel plurium syllabarum voces. Ouidius in omnibus suis scriptis vix decies (vt puto) vtitur tetrasyllabis & trisyllabis, nec nisi in rebus tristibus: quibus numeros etiam tristiores & languidiores conuenire duxit, vt lib. 1. Trist.

Iam prope lux aderat qua me discedere Caesar
Finibus extremae iusserat Ausoniae.

Item lib. 3. de Ponto ad coniugem.

Sint vtinam mites solito tibi more, tuasque,
Non duris lacrimas vultibus aspiciant.

Item:

Interdicta mihi cernitur Italia.
Vnda simul miserum vitaque deseruit.
Vt caream culpa mors quoque non faciet.
Transeat instabiles strenua Cyaneas.
In quibus ipse suum fassus adulterium est.
Qui fuit, & dubitas caetera perlegere.
Spectarem qualis purpura te tegeret.

Haec

Haec igitur apud hunc rariora.

Monosyllabae quoque voces eodem in loco vitiosae sunt, nisi aut duae simul ponantur, vt apud Ouid.

Praemia si studio consequor ista, sat est.

Aut elisio seu hiatus praecedat, vt apud eundem:

Heu quanto melior sors tua sorte mea est,

Nam alias horride & duriter sonant, vt apud Catullum:

Haec a te dictaque factaque sunt.

Ouidianum hoc melius est:

Omnis an in magnos culpa Deos scelus est?

Cetera quae ad artificium Poetae requiruntur, lectione, vsu & exercitatione, discenda sunt, non possunt enim omnia praeceptis tradi: requiruntur autem praeter haec, multa, nempe exquisitae & illustres sententiae, quibus carmina tanquam floribus aspergantur, item commorationes & expolitiones earundem sententiarum. Decet enim Poetam vbi opus est in eadem & vna re commorari, eamque multis modis versare. Ac inprimis requiruntur hypotyposes, digressiones, descriptiones, pa-

tho-

thopoeiae & ſermocinationes ad res praeſertim animi expertes, cuiusmodi ſunt apud Virgilium, quibus Mezentius ſuos equos, & Turnus ſuam haſtam alloquitur. Similitudines item elegantes, quales ſunt, cum Heroes aſſimilantur vel proceris arboribus, vel Orioni, vt apud Virg.

At vero ingentem quatiens Mezentius haſtam
Turbidus ingreditur campo, quam magnus Orion
Cum pedes incedit medii per coerula Nerei
Stagna, viam ſcindens, humero ſuper eminet vndas:
Aut ſummis referens annoſam montibus ornum,
Ingrediturque ſolo & caput inter nubila condit.

Sed haec quae reliqua ſunt, obſeruatio & vſus docebit. Reſtat igitur ſtudium & diligentia & cura, ſine qua nihil vnquam bene & laudabiliter factum eſt, neque fieri poſſe ſperandum.

IO. HEINRICI ACKERI OBSERVATIONES.

PRaeter vero ea, quae Sabinus aperte & luculenter tradidit, carmen ſcripturo & thema opus & argumenta, quibus thema vel ornet vel roboret. Hiſtoria, eloquentia, poeſis, & ceterae diſciplinae in arce poni poſſunt, quaſi illa Minerua Phidiae, & velut auxiliares deae in hoc ſpatio monſtrari diſcentibus. Enimuero quando libertas in ſtudiis nemini negata ſit oportet, ab iis diſcedimus, qui tam acriter & concrepantes ſaepe digitis dialecticae vſus inculcant. Equidem Morhoſius lib, III, Polyhiſtoris litterarii c, XII. Hermogenis rhetoris Tarſenſis locos quosdam πειρασμικὰς ſine vlla, quod miror, tam libri quam capitis mentione commendat; ſed vbi ad applicationem ventum, vel ad diſciplinas vel ad exempla, quorum exquiſitam dedit ſyllogem, nos deducit. Immo conceptis ipſius verbis §, 12. licet cognoſcere, rectius a rebus praeſidium peti, quam ab indicibus demum rerum locis. Poſtquam in materia gratulatoria de doctoratu circumſtantiam quid protuliſſet inquit: *quod attinet ad gradus ſingularum facultatum digredi potes in laudes theologiae, vide carmen Franciſci*

Va-

Vauassoris de perfectissimo theologo in parnasso societatis Iesu p. 62. Si in iurisprudentia tractetur locus communis de eius laudibus, describatur Icti, aduocati, consiliarii officium, vide characterem caussarum patroni in gratulatione doctorali ad Io. a Dans apud Boxhorn p. 14. & in simili gratulatione carmen de officio boni aduocati apud Niendalium in poematibus p. 84. Si in Medicina, suppeditare locos communes possunt, satyrae medicae Iacobi Balden. Si in philosophia amplissimus per singulas disciplinas campus. Perlustrabimus igitur & nos hunc campum, pulcros, fragantes, & salutares flosculos decerpturi. Et primum quidem ad historiam diuertemus. Fatemur equidem disparem esse conditionem poetae & historici, atque celeberrimus D. Rechenberg dissertationum parte 11, p. 687. bene discreuit: nihilominus tamen ab historico mutuari potest poeta quaedam. Vide excellentissimi viri Io. Ge. Mulleri, Professoris Ienensis, & praeceptoris venerandi doctissimam exercitationem de natura media poeseos inter philosophiam & historiam p. 90. sqq. Neque arbitror vllo casu hoc posse accidere vt nos deserat. Eugenium laudaturus cum duce Saxoniae Bernhardo compara, quo cum ille omnia fere habet communia. Comparationis membra ex auctore de l'histoire du Ma-

re-

reſchal de Guebriant, Laburerio, hiſtoriographo regio excerpe, qui p. 127. illius ſummas virtutes deſcribit.

Nec minus eloquentia ſuppeditat varias iucundiſſimasque inuentiones. Niti enim ſolent oratorum ſtudia in ſingularibus rariſque rebus, quibus adſenſum auditorum facilius eliciant. Exempli cauſſa Ciceronis locum ex orationis pro Deiotaro c. III. adducamus, vbi Cicero ad Caeſarem: *per dexteram te iſtam rogo, quam regi Deiotaro hoſpes hoſpiti porrexiſti, iſtam, inquam, dexteram, non tam in bellis & in praeliis, quam in promiſſis & fide firmiorem.* Ad quem locum parcus eſt Io. Ge. Graeuius, ſed Hugo Grotius I. B. & P. II. 13, §. 22. ſuppetias ferret, ſi in funebri carmine laudabilem principis dextram eſſes oſtenſurus.

Poeſis minor eſſet laude ſua, ſi nos deſtitueret. Imo haec vel ſola promit quae vſui eſſe poſſint. Quam diues inuentionibus Virgilius, & huius imitator Statius? Quam foecundus Claudianus? Nonne ex Claudiani panegyrico in conſulatum quartum Honorii principe faſces Academicos ſuſcipiente poſſes repraeſentare purpuram principi ſupplicem, verſibus ita ſonantibus:

Digna legi virtus, vltro ſe purpura ſupplex
Obtulit, & ſolus meruit regnare rogatus.

Nos

Nos non subueriti sumus imitari carmine in prorectoratum summi viri, Io. Francisci Buddei conscripto, quod infra lectori sistemus.

Sine philosophia morali eloquentiam & poesin sterilem esse, & viua voce docuit, & litteris confessus Chr. Cellarius, cuius nomen semper cum caritate & beneuolentia vsurpamus.

Ceterum singulare aliquid habere poesin latinam, sunt qui mecum opinantur. Etsi enim carmen latinum non adeo raro niteat themate, saepe etiam rerum fructu cassum sit; nescio tamen quomodo teretes & doctas aures permulcere possit dulci verborum sono; quemadmodum pleraeque Ouidii elegiae luculento possunt esse testimonio.

Quod ad argumenta attinet, quae in λόγες, ἤθη, πάθη, partiri solemus, consule Io. Guilielmi Bergeri, Polyhistoris sine pompa, sed grandiloquis anteferendi Virgilium oratorem, & methodum nostram scribendarum epistolarum parte secunda. E re discentium fuisse cognoui, quando sumto in manus poetae carmine haec eruerunt, & simili exercitatione in vsus conuerterunt, qua conformatione ad meliorum exemplum interdum admodum similes facti.

Di-

Dispositionis forma fere quadruplex potest constitui. Si integra historia carmine tradenda, perfecta narratione antecedentia, media, & consequentia exponimus, ita tamen, vt variis circuitionibus lectorem teneamus. Quo trahere possumus ea, quae Cic. lib. v. ad diuersos ep. XII. §. 13. seqq. scripsit: *multam casus varietatem in scribendo suppeditabunt plenam cuiusdam voluptatis: quae vehementer animos hominum in legendo scripto retinere possit. Nihil enim est aptius ad delectationem lectoris, quam temporum varietates fortunaeque vicissitudines: quae etsi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt iucundae.* Interdum quodam quasi colloquio canimus more Virgilianae eclogae. Theseos expositio, & ab ea ad hypothesin transitio notior est, quam vt doceri debeat, & verti etiam possunt pro lubitu. Elegantissima methodus est, quando epistolam vt fidam sermonis ministram adloquimur, eique omnia, quae nota alteri cupimus esse, commendamus. Ouidium, Statium, aliosque hac delectari & constat, & demonstratum est a nobis parte tertia methodi epistolarum scribendarum. Thomam Ittigium, decus olim Lipsiensis Academiae, in dedicatione historiae ecclesiasticae non sine arte vsum, indice Chr.

C Hen-

Henrico Ludwigio, humanissimo diligentissimoque Theologo, & summo apud nos sacrorum antistite, nuper cognoui. Finio cogitata mea praeceptis quatuor, quae sagacissimus ICtorum Chr. Thomasius aureis circa praecognita iurisprudentiae cautelis c. VIII. §. 17. tradidit: *Lege, iudica, experire, corrige.* Tu his fruere cupida elegantioris litteraturae iuuentus, & perpende iudicium Chr. Cellarii in dissertatione de poetis scholae publicae vtilioribus §. 37. *Neglecta vera poesi hodie multi inscriptiones, vt nominantur, amant, & vel elegantissimo carmini praeferunt, vocantes poesin politicam. Tinnulae sunt, & prope rhythmos implent, ingenio cuiusque hominis non plane obtuso natae, & faciliores elaboratu, quam vel tenue carmen aut mediocre. Sed si dicendum quod res est, vera & latina poesis his subnatis amittitur. Placent imperitis antiquae latinitatis: scribuntur ab iis, qui non valent ad carmen antiquo more scribendum. Romani innumeras inscriptiones reliquerunt, a Grutero, Reinesio, Fabretto, aliisque collectas, sed ne vnica in iis reperitur, quae vel leuissimam similitudinem illorum habeat, quas hodie adplausu tanto admirantur. Abstineant his scholae, ne vtiliora studia perdantur.*

Vale.

VI.

VLRICI DE HVTTEN EQVITIS GERMANI

ARS VERSIFICATORIA

EIVSDEMQVE NEMO.

Beneuolentiae captatio.

QVis modus, & quae ſint ſeruandae in carmine leges,
Et quo quaeque ſuum diſtendat ſyllaba tempus,
Littera quas vires habeat, quoque ordine mutet,
Omnia duſcutiam paucis: huc laeta iuuentus
Verte animi votum, ſitibundasque imbue fauces.
Non, quia praeterea ſcriptum nihil vtile dicam,
Sed quia munus habes animo gratante profectum.
Improbet iſta licet, cui mentem inſana libido
Carpendi ſtudio vexat, mihi fama trahatur.
Inque dies mihi perſtet honos, mihi gloria ſurgat:
Qui velit inuideat, ſeque hoc moerore fatget.

Littera. LIttera apud Latios isto discrimine fertur,
Vocales. Vocalis Criticos, quod voces integra reddat:
Consonantes. Tales quinque putant, y Graeca exinde retracta.
Consona, quod voces nil mutans adiuuat ipsas,
In se nulla tamen, nisi vocibus addita rectis.
Harum aliquae nobis vanos referuntur ad vsus,
Quae sint, disce breui, quibus e non adsonat ipsis.
O tamen V iunctum stat in vsu crebrius illo,
Vt sequor, vt quoniam, vetus est scripsisse Kalendas.
H aspiratio. H nota nonnullis venit aspiratio verbis,
Non tamen idcirco, quo possit littera dici.
Adde, quod in versu cadit haec, & nulla putatur.
Nec te conturbet, si obiecerit vnus & alter,
Posthabita coluisse Samo, hic illius arma.
Non ego confirmo, quo quisquam est rarius vsus.

Xdu-

X dupla eſt veteres (breuitas cum forte iuuaret) *X.*
Pro (gregis hoc monſtrat) iunctis ſcripſere duabus.
Duntaxat Graecis Z eſt data littera verbis. *Z.*
Quae ſuper has reſtant, dabis illis littera nomen.
Conſona vel muta eſt, quoniam male vocibus aſtat, *Muta.*
Inque e finitur, vel (quae plus conſonat iſtis) *Semiuocalis.*
Semiſona, incipiens e, dum ſe terminat ipſam.
F tamen (vt muta eſt) nihil hac ratione tenetur. *F.*
Namque poteſtatem non mutat ſpiritus vlli. *Priſcianus in primo.*
Quid? quod habet mutae vim totam, & conuenit ante
Mobilibus liquidis. ſic flauus, ſic fremo profers.
Omnis in hoc numero vocalis ponitur anceps, *Vocales latinae ancipites.*
Non vt apud Graios, vbi ſtricto iure tenentur.
Nulla vnquam tenuit vocales ſyllaba binas,
Ni coeant ſimul, & diphthongi nomine quadrent. *Diphthongi.*

quatuor. Quatuor ista modis fieri connexio sueta est.
Aulae erit exemplum, foelix, atque eurus in illa.
Ei. Quinta fere exoluit pacto diphthongus eodem.
Virg. Ecloga. 1. Scribe graueis tamen hac tentabunt pabula foetas,
Quisquis ab antiquis scribendi congeris vsum.
I & V consonantes. I solet Vque simul natiuam amittere vocem,
Consona facta: Iouis, Venus hoc ostendere possunt.
Vtraque conuerti facilis, retroque referri.
Virgil. 1. Troia gaza velut. Troiae qui primus ab oris.
Aeneidos. Et verbum soluo, dux longa pace solutus.
Lucanus 1. Sic vicibus mutantur, & in sua iura recedunt.
I quoque, vbi posita est vocales inter, vtrinque,
Donatus. Fit dupla, & crassas extendit murmure voces.
Caius vt est, tamen hanc voluit geminare vetustas.
V non litera. V quandoque sono manca est, vimque exuit omnem,

Nil

Nil liquidam dicas, quoniam resolubilis
extat.
Suauis ibi quercusque dabunt documenta vel anguis.
Quasdam etiam dici liquidas voluere Latini. *Liquida L & R.*
Mollioris sonus est, & qui persaepe liquescat.
Quin positae ad mutas vocalem (quae praeit ante)
Si breuis est alias, communem incedere cogunt.
Sic aper exit apri, tenebrae sic siue tenebrae.
Syllaba dispositis surgit compacta lituris. *Syllaba.*
Subditur huic tempus, nam si qua est longa duorum, *Tempus.*
Temporis vnius breuis est, ita syllaba constat
Quanta sit, & iunctas signant fastigia voces.
Quaecunque est inter primam verbique supremam, *Triplices syllabae.*
Hanc mediam dicunt, medias ita dictio plures
Continet vna simul, quae lege tenentur eadem.
Quae venit ante aliam vocalis, corripietur. *Vocalis ante vocalem.*

Sic via, sic deus est, sio producitur vsque,
Dum subit r voci, fierem fierique notando.

Genitiuus Casus in ei. Omnibus est anceps genitiuus syllaba in ius.
Casibus in quintae, quando i subscribitur, extat
E longum, choream, plateam, communiter effer.

Diphthongus. Diphthongus longa est. Mora fit, si forte sequatur

Positio. Consona vocalem duplex, ita pixis, & axis.

Praeterita dissyllaba. Vocalem longant, ita nox, ita maius, habentur.
Sto, Fero, Scindo, Bibo, Do, Fundo, collige raptim

Supina dyssillaba. Praeterita ita in primis, alias dyssyllaba produc.
Sumis itum, lector, queo, cum sero, stoque sinoque,
Et lino, cumque citum, ruo, do, reor, omne duarum
Tende supinum alias, & ab hoc quaecumque creantur.
Huc tamen accitus, staturus, longa notabis,

Praeteritum ad praesens. Ambitusque simul, quibus excitus sociatur.

In

In reliquis praeſens haec tempora cun-
ẽta ſequuntur.
Sic colo dat colui, ſic verbum Amo format
amaui.
Tolle tamen potui, genui, ex illis po-
ſuique.
Praeteriti geminata breuis ſtat ſyllaba
ſemper.
A, prae, ſe, de, pro ſimul e, di, longa
reponas
Compoſitis, dirimo tamen hinc & tolle
diſertus.
Ad, ſub, ab, inque, per, ob, re, bi, bis
contraria ſunto,
Ni poſitu longae fiant, biga excipe tan-
tum.
Omne ſuam ſequitur, qua fluxit ori-
gine, verbum.
Sic ſcriba a ſcribo nomen fit mobile ver-
bo.
Sunt breuia iſta tamen, deducta ab ori-
gine longa,
Et manus, & titulus, fragor, & fragilis,
duce, ariſta
Cum ſopor, atque farina, lucerna, diſer-
tus, ofella,
Adde dicax, ſtabiliſque ſagax odiumque
mamilla,
Et lotium, & fatuus ſiquidemque curu-
lis, acerbus,

Praeterita geminata.

De Compoſitione praepoſitionum.

De deriuatis.

Iunge femur, vada, aquae, noto, cum quater, adde quaternus
Cumique fides, vitiumque, vtri, nato, arena tigillus,
Quodque abit ex ſigno, ligulamque bubulcus, aceruus,
Et ſtabulum, varicoſus, anus, coma, iunde numiſma,
Huc domus, huc oculus, huc confers lector omaſum.

A breuibus productae. Deducta a breuibus, ſic producenda notantur
Regula, iucundus, ſtaturus, ſecula, vomer,
Vitupero, remus, tum caſus, iunior, humor,
Tegulaque humanus, legis, laternaque, rapum,
Caſeus, & totus, vocis, iumentaque regis,
Viginti, binus, denus, trinus, quoque nonus,
Iugera, vena, quibus ſedes, & macero, petus,
Serius, & nequam, feralis, ſumina, vires,
Vociferor, fomes, ceritus, ſecius adde.

Non ego cuncta meo lector quaerenda labore

Eſſe

Esse puto, restabit enim, ventura quod aetas
Quaerat, & vt studio quisquam se exerceat illo.
A quo deflexum recto, reducitur istuc.
Sic lego fit legerem, legi legisse parabit. *Declinationibus.*
Praeteritum sua namque tenet, sua tempora praesens. *Composita.*
Ipsa suum simplex coeuntia iure sequuntur.
Quod si forte tibi primaria syllaba verbi
Simplicis ignota est, te compositura docebit.
Ponere praepono notat, & conducere duco.
Saepe per accentum, quanta est, te syllaba fallit. *De accentibus cautio.*
Corporibus dicens, po negaret (vt est) breue quisquam.
Sed tu protuleris modo corporis, illico nosces.
Nam numerus verbo nimium si excreuerit vlli,
In breuius redige, aut alia hoc ope nitere lector.
Fit breue compositum persaepe ex simplice longo. *De compositis.*

Agni-

Agnitus hoc monſtrat, cum pronuba, & innuba, lector.

Deierat a iuro, ſic inſio, ſuſſio credunt.

Geminatio syllabae. Saepe aliquam doctis placuit geminare poetis,

Relliquiae velut, & redduco relligioque

I in medio compositi. I breuis in medio eſt, velut armiger, excipis inde

Qualicumque & vbique tamen, nec perſtat ibidem.

Quanticunque etiam plerique, tibicen, vtrique.

De declinationibus. Hic, vbi ſe rectus reliquis in caſibus auget,

A longum, Eque ſcies, ſimul O, ſic profer earum,

Muſarum, quorum, dominorum, ſicque dierum.

V breuis, Ique, manet, verubus grauibusque notabunt.

De creſcentiis caſuum. Alis vt in neutro producitur, adiice naris,

Omnibus Ar neutris, cum maſcula corripiuntur.

Sed iubar, & nectar, vel epar, ſalis, excipe ab illis,

As. Praeter anas, producis ab As, vbi caſus abundat.

Sic

Sic pietas pietatis habet, sed adis breue perstat.
An longum, sed & Ax, profertur casibus istis. *An. Ax.*
Dropacis hinc, facis, atque abacis, corax tamen aufer.
El, En, Es, tendis, paries, aries, seges, & pes, *El. En. Es.*
Et teges, & teres, atque abies, & praepes, hebesque,
Interpresque, Ceres, quibus omnibus est breuis vsus.
In quoque producunt delphinis vt, & salaminis.
Er breue comperies, ver lege excedit ab illa, *Er.*
Et quibus ad Latios, eris transfertur ab iris.
Vt Panther, Crater, secus est, vbi dixeris aer.
Is breuiter crescit, longo monosyllaba fine, *Is.*
A lapis vt lapidis, sic lis fit mobile litis.
Ni gregis exciperes, Ex longum (vt regis) haberes. *Ex.*
Ni etiam (vt silicis) mutetur littera voci.
Adiectiua per ix, nec non muliebria tende: *Ix.*

Prae-

Praeter onix, hiſtrix, pix, nix, natrixque ſalixque,
Coxendixque filix, laricis, ſtygis, & ſtrigis adde.
Maſcula praeterea producta ſequentia maſtyx.
Phoenicis, combix, ceix, ſpadix, ſandixque.

Onis. Daemonis o breuiat, praeter pene hoc, legis onis
Foemina, mas commune, ſimul non propria, produc

Or. Or quibus accreſcit deme indecor, & memor, arbor,
Rhetoris, O breuis eſt neutris propriisque notatis.

Vs oris. Si quod ab v recti creuit, breuiabit o ſemper.
Sic pecus hoc pecoris, ſic eſt ebur, & breue corpus.

Obs, ops. Obs ſcrobis, ops inopis, pauciſſima corripientur,
Cappadocis praeter, bouis & creſcentia praecox,

Os, Ox. Longum erit Os, ſimul Ox, ſic moris, ſic lege vocis.

Vs vtis. Vtis ab Vs creſcens, nec non producitur vdis.

Vx. Dictio in Vx pariter longa eſt, monoſyllaba praeter,

Lux,

Lux tamen hinc demis. Sed in Vr correpta manebunt. *Vr.*
Vt ligur, vt turtur, ſine fur tamen eſſe ſeorſum.
Eſt etiam, vt videas, quo creſcant verba tenore. *De excreſcentiis verborum.*
Dum legeris profers, & dum tu deinde legeris.
Dum ſequerer ſequereris ais, multum inter in illo eſt.
I breuis in terna eſt, quarta hanc inflectio profert.
Sic legimus dicunt vulgo, ſic deinde perimus.
At vi praeteritum ſemper productilis eſt vox.
Audiui exemplo eſt, quaeſiui, & lector amaui.
Longa velim ſimque i faciunt, ſic verte velimus.
Paſſim alibi breuis eſt crementis iſta ſecundis.
O ſemper longum eſt, breuis V creſcentibus aſtat.
Poſſumus vt dicas, legitote, & talia cuncta.
Vltima dicendum eſt, quanta extet ſyllaba voci *De vltimis ſyllabis.*
Cuilibet, in primis, mediiſque vagabere paſſim,

Mul-

Multa legens, Nam quis diffusam comperiet rem?
Inque nouas leges coget? probus auctor in illo
Sudari frustra putat, haud ego murmure longo
Sustineo quenquam. placet omnia dicere paucis
(Quae rata sint) verbis & te breuitate iuuare.
Qui velit haec scribat, longoque accepta labore
Colligat, & multis dociles sermonibus aures
Turbet, vbi tamen hanc nunquam satis explicet artem.

De declinationibus breuiter.

Ordinibus cunctis genitiuus longus habetur.
Is breuis est ternae, prolixum pone datiuum,
Pone ablatiuum, sed e tertius excipit ordo.
Plurali rectus, cumque accusante, vocator.
Longus erit, quanquam est neutris breuis omnibus vsus.
Casibus is longum est, sed bus breue pone duobus,
Quod semel exposuit generali candide dicto,

Iam

Iam ſatis eſt lector, neque enim per longa morabor.
A fini longum eſt, ſed caſus corripit illud, **A.**
Præter ablatiuum, Graioque ex nomine quintum.
Vltra, ita, vel quia, cum fruſtra, puta mixta leguntur,
Longa tamen crebro ginta communiter exit,
Qui finit numerus: breue quadringenta manebit:
Et ſi quod ſimile eſt: toties haec regula fallit.
E breuis eſt, Graecis muliebria longa feruntur. **E.**
Sic quae o finito veniunt aduerbia caſu
Deducta, vt pulchre, longóque e verba ſecundae,
Cum quare produc, fermeque, fereque, fameque,
Et monoſyllaba: ſed ne breuis dum commutat an ſit.
Nunc ſunt longa, vale, caue, nunc correpta leguntur.
Quintus at in Graeco, cum ſexto longus habetur.
Dic bene, dic male, & huc generalia congere dicta.
Partim ita longa vides aduerbia, raptaque partim.

I. I produc pari corripitur: similesque cadentes,
Phillidi non secus est, tibi, cum mihi, vbique, sibique,
Et nisi, deinde, quasi, vel ibi, communia sunto.
O. O varia est cunctis, sed eunt monosyllaba longe.
Ponis in hanc etiam, ceu vero, aduerbia normam.
Mutuo, crebro, cito, sero, sedulo in ancipiti usu.
Illico contrahitur, semper modo corripietur.
V. V longum est, nihil hinc demis, sic collige cornu.
B. d. m. t. In b, d & m, t, breues cunctos posuisse videmus.
Saepe tamen miror T produxisse poëtas.
Naso refert, cum voce abiit, ego Iunius inquit,
Magnus ciuis obit, & formidatus Othoni.
Siue licet doctis, siue hoc ita syncopa poscit.
C. C quibus est produc, nec erit breue, lac breue donec.
Hic varium est casu sed fac qui corripis: audes
Nescio quid dubium, legitur tamen haud semel illud,
L. L breuiter pones, nil, sol, si exceperis inde.

O.

Omnia in n tendis, sume hoc ex ordine forsan, N.
Et tamen, exin, & in, viden, an, crescensque secundo
In casu nomen, sic pecten pectinis auget.
Cum syren, capis hinc hymen, productus in In stat
Rectus. in In quartus breuis est: ita tigrin habebis.

R correpta venit, crater, aetherque, character, R.
Cur, & iber, pantherque. stater, producitur & fur,
Aër, nar, ver, parque & ab hoc fit mobile si quo.
Adde illis lar, farque simul, cor (ut ingeris) aptum est
Versibus, an tamen huc (dubium est) dolor & simile addas.

Omnibus as longum est, secus est ubi lampadas inquis, As.
Pallas & arcas, & in Grais, quae talia multis.

Es longum vates posuere, ubi patrius auget Es
Se breuiter casus (miles velut est) breviatur.
Inquies, es verbum: penes, & pluralia Graeca,

Aſt aries, paries, abies lege longa, Ceresque,
Resque, fides, & ſpes, cum pes, bipes inde tamen ſit.

Is. Is breuia trahimus, ſicubi genitivus abundat
Cum longa, ut ſamnis ſamnitis, iunge ſecundam
Perſonam verbi, cui declinatio quarta eſt:
Cum ſis, cumque velis, vis, & monoſyllaba cuncta.
Praeter is, & quis, mis, bis, tis, quae contrahis uſu.

Os. Protrahit os finem, ſed cui genitiuus os oſſis
Additur, excipimus: ſed Græcus in os breuis extat,
Patrius & neutri rectus, muliebreque nomen.

Vs. Corripiemus in us, quae ſunt monoſyllaba praeter:
Et quibus extenſum eſt caſus finale ſecundi.
Sic lego virtutis, telluris ſiue paludis,
Certe ego, quod veniat palus in mea carmina, nolim,

Nihil rar imitandum. Flaccus ut eſt uſus vates. nam quae unus & alter
Auctor habet, quis in hunc niſi craſſa forte Minerua

In-

Ingeniique inopis, ſine teſtibus, incidat
uſum?
Haec, ut in admiſſam concedat ſyllaba
vocem,
Tradidimus breuiter, quod ſi tibi noſter
in iſtis
Anguſtus nimis eſt labor, atque hac defi-
cis arte,
Vlteriora potes ſtudioſo adquirere niſu.
Syllaba facta, pedes facit, & pedę car- *De pedi-*
mina conſtant *bus.*
Longa ſequuta breuem ſpartanum gi-
gnit Iambum.
Huic contra ex longa ponere breuique *Diſſyllab.*
Trochee.
Pirrhe celer breuibus, longis ſpondee *Triſylla-*
duabus *bi.*
Ite pedes, longam correptis dactile binis
Antefer, at contra volat antidactylus illi,
Tot volucer breuibus tribrachus, lon-
gisque moloſſus.
Nacta vtrinque duas brevis eſt vbi ſylla-
ba longas,
Creticus efficitur: Scolius contrarius illi.
Ante breuis longas bachius, contrahit
autem
(Vt verſura docet) palymbachius eidem. *Tetraſyl-*
Sunt quibus accedit (potes hoc inqui- *labi.*
rere lector)
Syllaba quarta pedes, immenſum eſt o-
mnia dici.

De elegiaco carmine. Miſcueris tenuem ſi quando ad Carmen Homeri
Pentametrum, numeris dabit his elegia nomen.

De ſcantione Heroici. Exiguos elegos pedibus conſtare duobus,
Maxima pars vatum ſentit, da dactylon illis
Spondeumque grauem, nihil hoc in carmine iuris
Alter habet, cunctis eſt ultima verſibus anceps.
Ponis in heroo ſemper promiſcue utrumque
Ius tamen in quinta eſt (nam ſex regionibus illud
Diuidimus carmen) ſoli tibi dactile perſtat.
Spondeus ſextum ſibi pes vice quaerit eadem.

Spondaicum. Saepe tamen quintam in verſu pes occupat idem.
Chara Deum ſoboles magnum Iouis incrementum.
Alter in alterius quoniam reſolubilis extat
Hypermeter. Tempora. ſunt etiam quibus ultima ſyllaba abundat:
Principio alterius connectit hypermeter illam.

Omne

Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque,
Et genus æquoreum. ſed quod legis ariete crebro,
Hoc proceleuſmaticum pedibus docet addier iſtis.
Diſce quod anguſtis haerere in legibus amplos,
Non deceat vates, magna eſt in carmine virtus,
Saepe noui quicquam venia committere honeſta,
Quod varium mentes lectorum ducat, & aures.
Fluuiorum rex Eridanus Maro dicere poſſet.
Pentametrum in partes doceo diſponere binas.
Prima duos miſcere pedes ſolet, huncque vel illum
Continet, vt libitum eſt, dehinc ultima ſyllaba reſtat,
Dactylus inde duplex, parti ſolet eſſe ſecundæ,
Syllabaque ad finem, quæ ſic collata priori,
Iure pedis quinti numerum hoc in carmine complet.

Pedum reſolutio pulchra.

F. Quintilianus.

Varietas in carmine.

De ſcanſione pentametri.

Obser-vanda in scansione. TV quoque, qui versus in partes digeris ipsos,
Disce modum: neu te mandatis subtrahe nostris.
Contigerit vocis si quando in fine prioris
Vocalem poni, sicque inceptare frequentem,
Synalephe. Prima cadit, fiat Synalephe. sic cadit ante
Eclipsis. (Fiat ut Eclipsis) m littera, monstrat utrumque
Exempla contraria. Littora multum ille & terris jactatus & alto.
Hanc tamen adversus potuit Maro dicere legem,
Insule Ionio, sic deinde sub Ilio alto.
Saepe etiam ut longae maneant mirabimur illas.
Haec Helenum cecinisse penatigero Aenae
Naso tulit vates: Sic Ionio immenso,
Exceptio. In satyra scriptum est, tum propter plurima tum his.
Perstat item si qua est vocalis dictio facta.
S. Absorbendum. O vtinam tunc cum Lacaedemona classe petebat.
Antiquum est etiam decidere falcibus ramos,

Saepe

Saepe breuis totas praeſcindit ſyncopa partes. *Syncopa.*
Vt quoties raro duxti ſuſpiria motu. *Apocope.*
Demit & apocope finem (ſic pone negoci) *Paragoge.*
Quem Paragoge auget, ſic quisquam fingier inquit.
Ius habet in binas differre Diaereſis unam, *Diaereſis.*
Vt ſolet in cumulum iunxiſſe Synereſis ambas. *Synereſis.*
Sic nos aulai, ſic perſolüenda notamus,
Ferreîque Eumenidum thalami, furtumque Promethëi.
Plurima praeterea dii, cui, deinceps velut addis
Semi animis, dehinc, deinde vel huic ii proinde leguntur.
Dicendum & qui ſint ornando in carmine flores. *De carminis cultu.*
Hic operae eſt precium, vigiles huc vertite mentes
Oſthenii iuuenes, nec vos labor abſtrahat ullus.
Continuo ſtudio curisque calentibus, acri *Multum laborandum.*
Optima quaeque animo legere aut audire, gravesque
Edidiciſſe libros, crebraque indagine doctos

Virtus poëtica. Eligere auctores, scribentem carmen oportet.
Quicquid habent alii passim, Maro nouit, & arteis
Calluit omnigenas, doctrinaque acre iuuabat
Ingenium, hinc illi tanta est in carmine virtus,
Tantus honor, hinc est, quod vates altior omnes
Hic superat Latios, nomenque ad sydera tollit.

Non ingenio confidendum. Philosophiae studendum. Nec quoniam munus vobis natura benignum
Contulit ingenii, nimium confidite vobis,
Excolite has vires, animumque intendite rebus.
Quis molem hanc moueat, quis euntibus imperet astris
Quid fatum, quid sit casus, quo turbine praeceps
Mundus eat, quae sit rebus natura creatis,
Discite per caussas, hominumque inquirite mores.

Carmen tempori conforme. Nam conforme suis multum scripsisse probatur
Temporibus carmen, viuosque effingere gestus.

Dum

Dum legitis, multum potius, quam multa legetis,
Nec vos dicendi lateant genera, utque peritus
Orator caussas tractat, sic scribere vates,
Sic solet eloquio mentes mulcere. Sed illi
Liberior vocum est vsus, vos cogite voces
Inter se similes nam res etiam ista iuuabit.
Profuit & genus in speciem, aut contra variari,
Et saltem affini confundere nomina sensu.
Raro aliquod ponas nomen, nisi forsitan illi
Adiectum tribuas proprium, sit lucidus omni
Duricie procul hinc sermo, sint omnia plana,
Sint facili producta stylo, venaque fluenti.
Non tamen, ut sensu careant, frustraque legantur,
Sed moueant animos, aliquemque ferantur ad usum.
Fabellas etiam pictas miscere iuuabit,
Historiasque simul, si quid locus exigit illud.

Quomodo legendum.

Orator & Poeta.

Vocabulorum usus.

De Epithetis.

Virtus carminis.

Exornandum carmen pulchrae repetitione.

Saepe

Saepe ubi quid repetes in carmine pulchrius exit.
Ter ſunt conati imponere Pelion Oſſan.
Ter pater extructos disiecit fulmine montes.
Militat omnis amans, & habet ſua caſtra Cupido.
Attice crede mihi, militat omnis amans.
Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa.
Illum & labentem Teucri & riſere natantem;
Meme adſum, qui feci in me conuertite ferrum.
Pauper amet caute, timeat maledicere pauper.
Quodque Maro dixit, ſequitur pulcherrimus Aſtur,
Aſtur equo fidens, & in adiectiua reſurgens
Marſa manus, peligna cohors, feſtina virûm vis.
Et ſi quid ſimile his, velut eſt Athamasque Thoasque

Adfectum verba ſequantur.

Vsque adeo ſenſis ſimilem decet eſſe loquelam.
Vt ſi quid durum eſt, duro procedat hiatu.
Concitet & geſtum ſermo, quid pulchrius illo?

Mon-

Monstrum horrendum, informe, ingens cui lumen ademptum.
Pulchrum est rura petunt, hic Thuscum atque ille Sabinum.
Transit & in carmen celebri translatio cultu. *Metaphora.*
Belle equidem dictum, classisque immittit habenas.
Nauigio sulcat mare, ferrum armatque veneno.
Stat pro contento retinens, ut vina coronant. *Continens pro contento.*
Per Venerem luxus, per Bachum intellige vinum,
Per Cererem fruges, inuentoresque suarum
Finge ipsos rerum, non ista licentia tantum, *Periphrasis.*
Quin etiam decor est, ornata periphrasis omni
Laude nitet, tibi mille locis exempla petantur,
Non etiam incultum est, rapiunt incensa feruntque
Pergama vos celsis: ita sermo patheticus ornat. *Pulchra dictionum traiectio.*
Transponunt etiam, quas iungere lege deceret.
Italiam contra dixit Maro, dixit & idem

Transtra

Tranſtra per & remos, ſeptem ſubiecta Trioni.

Synthesis. Syntheſis his propior: Iuuantes fortisſima fruſtra

Parentheſis. Pectora & in medio concluſa parentheſis ornat.

Allegoria. Allegoria ſimul: pueri ſat prata biberunt.

Ironia. Disſimulansque in ſe quicquam Ironia relatum.

Adfectatio fugienda. Quisquis ab his cultum quaeris, verſusque colorem,


Non excede modum, nimia eſt vitioſa venuſtas

Quodque ſatis pulchrum eſt, crebro vileſcit ab vſu.

Cætera, quæ poterant iſtis ſuperaddier, olim

Veſtrum aliquis per ſe quaeret, mea commoda ſaltem

Sit breuitas quicquam vobis, ne ſpernar vbique.



VI.

VLRICI DE HVTTEN EQVITIS GERMANI NEMO.

Qvisquis ades, ſi forte nouos mirabere luſus,
Ne rigida faciles accipe fronte iocos.
Sed qua laeta probis ageres conuiuia menſis,
Quoque decet vultu res variare graves:
Inter ſe mutata placent, non omnibus idem
Eſt locus, haud poſcunt omnia tempus idem.
Et quandoque leues veniunt ad ſeria riſus,
Quo iucunda graueis temperet hora dies.
Eſte alii triſtes ſemper, ſemperque ſeueri,
Qui ſapis, alternas omnibus adde vices.
Scilicet hic modus eſt, tu qui mea noſſe laboras
Fata, Cleanthaeum pone ſupercilium.
Qui loquitur Nemo eſt. Loquitur nihil at tibi ſi quid
Inſonuit, dicas neminis eſſe nihil.

Sum Nemo, viuam, nec ne, cui dicere promtum eſt?
Non etiam promtum eſt hoc mihi, viuo tamen.
Nemo agitat vitam, tu quid te contrahis? an quod,
Si viuit Nemo, viuere non potis es?
Ille ego ſum Nemo, de quo monimenta loquuntur,
Ipſe ſibi vitae munera Nemo dedit.
Nemo fuit ſemper, Nemo iſto tempore vixit,
Quo male diſpoſitum dii ſecuere chaos.
Ante ortum Nemo eſt, aliquis poſt funera Nemo,
Nemo quid inuito fertue facitue Deo.
Omnia Nemo poteſt. Nemo ſapit omnia per ſe,
Nemo manet ſemper, crimine Nemo caret.
Nemo fugit mortem, Nemo eſt a fine ſuperſtes.
Nemo exors certi naſcitur interitus.
Nemo animos nouit ſuperum, ſenſusque latenteis.
Nemo quod eſt, quod erat, Nemo futura tenet.
Nemo ſalutiferas praeter ſeruabitur undas,

Nemo

Nemo fidem Christo non habet, & bonus est.

Nemo ſorte ſua viuit contentus & intra
Fortunam didicit Nemo manere ſuam.
Nemo ſacerdotum luxus, vitamque ſupinam,
Nemo audet Latium carpere Pontificem.
Nemo in amore ſapit. Nemo eſt in amore fidelis,
Nemo alii propior quam ſtudet eſſe ſibi.
Nemo vagas numerat ſtellas, ipſo ordine novit
Nemo quid in terra, quidque feratur aqua.
Nemo poteſt dominis ſimul inſeruire duobus,
Nemo quod et quoties expedit illud, habet.
Nemo bonus, Nemo eſt ex omni parte beatus,
Nemo ſimul potis eſt omnibus eſſe locis.
Nemo omnes poſita Germanos lege coercet,
Nemo iugum Remi gentibus impoſuit.
Nemo per innocuos mores emergit, & aulae
Sontica proſequitur munera Nemo pius.

Nemo Quirinalem dominatu liberat urbem,
Nemo laboranti ſubuenit Italiae.
Nemo feros bello Turcas adit, & bona curat
Publica priuato munere Nemo magis.
Nemo certa ſequi ſibi conſcius optima legit,
Nemo audet ſubitis rebus habere fidem.
Nemo errore vacat, Nemo ſibi cauit ubique.
Nemo placet cunctis, inuidiaque caret.
Nemo quae placeant ſtupido facit omnia vulgo,
Nemo refert ſtudiis praemia digna bonis.
Nemo voluptatem nullis languoribus explet,
Nemo renaſcentem ſedat auariticam.
Nemo eſt in terris Germano Caeſare maior,
Nemo deum pariter diuitiasque colit.
Nemo vagam ſtabili fortunam temperat orbe,
Nemo graui caſus ſub ratione leues.

Nemo

Nemo quas congessit opes, secum aufe-
ret istuc,
Mortuus unde semel Nemo redire
potest.
Nemo maris guttas, numerumque re-
censet arenae,
Nemo dat aestiuis nomina pulueri-
bus.
Vertere Nemo vices, infectum reddere
factum,
Nemo potest lapsos huc reuocare
dies.
Et quae praeterea numero foret edere
longum,
Quid valeat Nemo, Nemo referre
potest.
Vna meum censet leue turba domestica
numen,
Seruorumque cohors, & puerile genus.
Horum est in famam tam prona calu-
mnia nostram
Vt nihil exoptent quam mihi obesse
prius,
Nil moror haec, ὀλίγος τε καὶ οὐτιδανὸς καὶ
ἄκικυς,
Opprobrio infelix ulteriore petor.
Atque vbi peccarunt, neque enim pec-
casse fatentur,
Transponunt labes in mea terga
suas.

Quicquid ab his culpae, quisquis committitur error,
Si quaeras quis agat, omnia Nemo facit.
Amissum est aliquid, Nemo abstulit, excidit aurum,
Nemo habet, at nullas Nemo cupiscit opes.
Quid quod fraude mihi grauidam obtrusere ministram,
Tot famuli, quamquam haud tacta sit illa mihi?
Quaerendus puero pater est. Nemo obtigit, at tu
Si me audis, alium stulta require patrem.
Ecce infracta iacent hesterno vasa tumultu,
Olla, lebes, patinae, vitriolusque calix.
Et variae signis phialae, samiumque toreuma,
Et carum infausti cupula pignus heri.
Oenophorumque capax, & aduncae cantharus ansae
Sympuuiumque ingens, Herculeusque scyphus.
Fracta iacet lampas, iacet vnguentaria pixis,
Quaeque grauis gelidas urna ministrat aquas.

Su-

Sustulit haec eadem fragiles insania testas,
At cocus ad solitum laesit ahena focum.
Laesit & euersos tripodas, tenuesque quadrantes,
Neglectusque suo follis in igne perit.
Abiectumque alio postillum, abacique reuulsi,
Nec relocata suis stannea vasa locis.
Et quaerenda diu ruptis cochlearia thecis,
Fuscinaque, & caecae curua lucerna viae.
Decidit excussa ferrata sagitta pharetra,
Ante suos manant vina refusa cados.
Hinc cyathi, tinaeque graues, & aquatilis obba,
Illinc Hetrusco sceria amata Numae,
Tympana rupta iacent, iacet amphora, nec tenet apte
Puluerulenta suos bibliotheca libros.
Cum sparsos hinc inde colum, fusosque viderem,
Haec etiam dixi, culpa futura mea est.
Vos quoque culter, acus, radii subtegmina, forfex,
Turpiter irata sparsa iacetis hera.

Ebria securis domini petulantia servis,
Nil curare domum suadet, opesque domus.
Quos petulans inter prostrato ancilla pudore,
Nonnihil in rerum perditione facit.
Ipsa penum struit, & patinas inducit opimas,
Quaeque sibi sollers multa reseruat herus.
Vina dehinc promit, dehinc rarum quidquid ad usum est,
Arte cibi varium docta parare genus.
Eruitur simili tucetum nobile furto,
Crassaque furtiuo sumina tosta foco.
Hic bibitur totas mensura aequante lagenas,
Laetaturque meo libera turba malo.
Et varia exequitur sub multam gaudia noctem,
Gaudio non uno perniciosa modo.
Multa refringuntur, titubanti cum pede seruus
Post epulas & post pocula, strata petit.
Pressit in oblatum grauidum caput ille caminum,
Nec cubitum lapsi pulsa fenestra tulit.

Se-

Semifeclufa canis fubiit cellaria, & illic
Quod fupereft auido deuorat ore cibi.
Haec quoque depofito venit fortuna caniftro,
Et quae praeterea diruta multa iacent.
Ipfe domum tandem rediens herus, anxius ambit,
Difcere vaftatae fingula damna domus.
Quo feriem quaerente mali, tegor indice primo,
Efficiorque omnis criminis auctor ego.
Criminis auctor ego, quid enim quis dicere poffet
Confeftim breuius, quam mala Nemo facit?
Tunc ego pro meritis etiam benefacta rependo,
Illorum fubiens corpore quodquod onus.
Et fi quid mandauit herus curae atque laboris,
Ni faciam infelix omnia, Nemo facit.

Nemo curat equos, Nemo huc difcurfat & illuc,
Pro domino Nemo eft anxius, atque domo.
In me tuta fides, audet committere lecto
Neminis, uxorem qui cupit effe probam.
Non tamen eft mirum, quemquam hos inuadere mores,
Non adeo exemplo, qui facit ifta, caret.
Multa licent multis; poftquam femel hoftis Vlyffes
Suppofuit fceleri nomina noftra fuo.
At tu fic dederis veniam mihi candide lector,
Quod fuerit nimium fabula longa, Vale.



CLAV-

CLAVDII ESPENCÆI ELEGIÆ SELECTIORES.

ELEGIA PRIMA, AD CHRISTOPHORVM DE THOV, PARISIENSIS SENATVS PRIMUM PRÆSIDEM.

DUm mala Parisio pestis spatiatur in agro
Falce velut rigida proxima quaeque metens,
Quaque fugat, Mauors in ea me distinet vrbe,
Quem per amoena iuuat ciuicus arma cruor.
Dum furit iste foris, intus depascitur illa,
Peior ut ignores illa, vel illa lues.
Saeuit & indocilis vaesana licentia vulgi,
Iudice quo leges sanctaque iura silent:
Cui quondam armisonum, nunc numen inerme, furenti
Cedit, & ad tantum cogitur vsque metum,
Vt non rara suis miscentem incendia chartis
Loripedem Pallas spectet inulta Deum.

Digna quidem flammis laesi rea numinis hydra
Crescere vulneribus quae solet hydra suis.
Vellatur sterili lolium quod nascitur agro
Non etiam culto fertilis herba solo.
Sed cur mixta malis ardent innoxia, & vno
Mixta bonis crepitant noxia saepe foco?
Cum pulcris adeo non est concordia musis
Et Veneris foedo paxque quiesque viro.
Vt taceam iniectas in moesta cadauera dextras
Non minus in viuos quae libuere licent.
Vi solida, non more sinunt, impune geri rem
Clausa quasi indicto sint fora iustitio.
Dum Latia pacem, materna praelia lingua
Poscimus, & superis irrita vota damus.
Quippe exaudiri, superis licet usque benignis,
Vtraque cum nequeant, audiet vtra Deus?
Quid mihi tunc animi, cui chartea tota supellex
Inter eas turbas, Thute, fuisse putas?
Dum

Dum populatur agrum, miſcetque tumultibus vrbem
Et modico muros iam minus hoſtis habet:
Dumque minus modico differret ab hoſtibus hoſpes
Hosſpes enim nihilo mitior hoſte fuit.
Quid me acies inter medias, hoſtesque futurum
Tot mala quem circum, totque pericla fremunt?
Praeſentem intentant ſemel omnibus omnia mortem
Multus et eſt ſubitae mortis vbique timor.
Mi lupus a tergo eſt, praeceps a fronte periclum
Nec fuga, nec ratio mī patet vlla fugae.
Nec me tempeſtas vel abire vel atra manere
(Tutus ab hac valeat quis locus eſſe?) ſinit.
Quae regio noſtri non eſt hic plena laboris?
Noſtra quis in regno non mala vicus habet?
Vrbe morer? quae non vrbis pars peſte laborat?
Ruſticer? ecqua malo milite rura vacant?

Rure

Rure domique sacris mala tempora fallo libellis
Ire iubens in rem bella prophana malam.
Qualiacumque meo meditor solatia cordi
Solus, & hoc mecum carmen ineptus ago:
Si toties moreris, quis te malus abstulit error,
Esse mori, quando desinis ipse mori?
Si nisi seposito non viuis corpore, si mens
Non minus amissa carne superstes erit:
Cur tibi tam miserae, vetus o nimis incola terrae,
Tam grauis in fragili sarcina vase placet?
Quin gemere vt tandem sublato corpore cesses
Non magis effracto carcere liber abis?
Vita (nefas) aegris est cum mortalibus esse
Et cum immortali mors erit esse Deo?
Particula humanus diuinae Spiritus aurae est
Coelicus est animis, spiritibusque vigor.

Est

Eſt animis, eſt ſpiritibus coeleſtis origo.
Sunt ſublime, ſagax, aethereumque genus:
Membra quid his aliud quam ergaſtula, quid niſi carcer
Eſt caro, & anguſtum mundus hic exilium?
Adde catenatos moribundi corporis artus,
Queis velut in pedicis compedibusque iacet.
Quis me infelicem manicis DEus explicet iſtis?
Exoluat miſero vincla quis iſta mihi?
Quis dabit vt ruptis mens auolet iſta catenis,
Et valeam tetro ſaluus abire lacu?
Viuere tam defecta diu, nec viuere membra!
Saepius iſta mori, nec ſemel iſta mori!
Mene tenebroſo ſquallere in carcere ſeruum
Semper & adſiduo conſenuiſſe ſitu?
Ah melius, quod in hac circumfero mole, cadaver
In ſibi cognata vile iaceret humo.
Spiritus ah melius cognata reuiſeret aſtra,
Ad dominumque redux, artificemque ſuum.

Sol vbi non aestu, nec adurit frigore pernox
Luna, sed & constans & sine nocte dies.
Cernere vbi est sine nocte diem, sine vespere solem
Et superum pulsa fulgere nube iubar.
Frigida non pugnant calidis, non humida siccis
Non male cum duris mollia conueniunt.
Non male concordes luctantur in aëre venti
Perpetuo zephyri sed mage vere fauent.
Noxius aestiuis non ardet Sirius agris
Non riget hyberno bruma niuosa gelu.
Grando lacertosis non est inuisa colonis
Non nocet illa satis, non nocet illa mero. (lites
Non mouet obliquas damnosa calumnia
Iura nec arguto iactat iniqua foro.
Nemo vel igne perit, turpes vel in aëre furcas.
Vel subit horrendae probra nefanda crucis.
Non mare, non terras armis bellona fatigat
Nullus ab instanti moenibus hoste pauor.

Nul-

Nullus ab infesto metuit latrone viator
Nullus ad hostiles excubat insidias
Æquoris insanis non vapulat unda procellis
Non timet iratas nauita moestus aquas.
Nec virosa legunt iniustae aconita nouercae
Nec miscent magicis atra venena sonis.
Venter iners auida non interpellat orexi
Non aret nimia guttur inane siti.
Nemo vel admiscet pellendis pocula morbis
Vulnera vel medica tractat hiulca manu.
Non deformat edax humana cadauera piscis
Nec fit homo hirsutis praeda cibusque feris.
Non prurigo morae impatiens non lurida lepra
Inque hominum morbus non abit ora sacer.
Non putre tabifico respergitur vlcere corpus
Nec sordet fluida tabe peresa caro.
Peste nec aeria, nec febribus vrit anhelis
Viscera non alius conficit ima dolor.

Ex-

Exanguem macies non attterit aegra senectam
 Non arat effoetas ruga senilis anus.
Sed nulla senii formidine viuitur aeuum
 Perpes, & aeterno flore iuuenta viret.
Non animi aut error fanaticus occupat arcem
 Inficit aut mentes haeresis vlla pias.
Sed nae stultus ego, qui labilis omnia mundi
 Damna velim paucis texere versiculis.
Non magis innumerae Libyae sitientis arenae
 Nec folia hyberno frigore plura cadunt.
Non moritur, qui vel patitur tam indigna facitue?
 Non vacua his vere est vita beata malis?
Haec euadit enim mortis nisi munere nemo
 Nil & ad oppositas, mors nisi, ducit opes.
Vita via ad mortem, mors non obnoxia morti
 Est homini ad vitam non nisi morte via.
Non pereat semper, pereat semel iste necesse est,
 Semper enim moritur, ni semel emoritur. Vi-

Viuentes morimur, morientes viuimus: & mors
Omnibus aequa, mori nonnisi morte poteſt.
Denique victurus, ceſſet nisi viuere, nemo eſt,
Morte nisi ad vitam nec rediturus homo.
Scilicet haec breuibus numeris vtcumque referre
Quam leue, ferre Deo tam nisi dante graue eſt.
Cuius vbi in nobis erit omnibus omnia Chriſtus
Incolumes animos corpora ſana manent.
Cum dederit limo domus haec compacta ruinam
Nos manet haud noſtra regia ſtructa manu.
Cum meditaretur curarum muſa mearum
Conſcia flebilibus talia verſiculis
Ecce acies inter medias, differtaque morbis
Tecta colens, Chriſti munere ſoſpes eram.
Soſpes eram Angelica (ſi quis modo ſoſpes ab herba
Eſſe adeo coelo dira minante poteſt,)

Quam mihi Pisſiaco miſit Marquoeſis ab horto
Angelicos inter viuere digna choros.
Pax illic domini, quotquot ſine labe ſo-rores
Perpetua Chriſtum virginitate colunt:
Et bello profugas antiſtita Margaris agnas
Colligat, innupto conſocietque choro.
Haec erat euentus radix praeſaga futuri
Quidquid rure meum, quidquid in vrbe foret,
Seruandum angelicis, firmo velut aggere, caſtris
Et coeli eximia noſtra tuentis ope.
Multa quidem audiui, multa ipſe miſerrima vidi
Nulla tamen Chriſto pars miſerente fui.
Quod ſolet, abſentes multo inſectata latratu
Praeſentem verita eſt rodere turba canum.
Zelus iners viuis, & iniquus lumine caſſis
Eſſe domi tutos meque, meosque dedit.
Me male non meritum, modicumque Lutetia ciuem
Et mea materno protegit vsque ſinu.

Hinc

Hinc mihi cum mutis eſt bibliotheca magiſtris
Eſt mihi cum tota recula ſalua domo.
Cumque lues vrbi, toti vis Martia regno
Ingrueret, texit vis mihi dia caput.
Nulla meis labem dedit hic contagio tectis
Mens vtinam in ſano corpore ſana ſiet.
Nunc aeterne DEus, trinum tibi numen & vnum
Dicere quas grates, quasue referre parem?
In domini ſeruus quas nouit inutilis aede
Non opis eſſe ſuae reddere, ſemper aget.
Summe pater pulſo ciuilem auerte tumultum
Schismate, quo natus regnet in orbe tuus.
Si natura facit, ſi gens, ſi patria fratres
Communisque iubet luſtricus eſſe latex:
Si nos progenuit ſponſae Pater agnitus vni
Quin ſponſae vniuirae pignora vtrique ſumus?
Qui Patris vnius eadem prece nomen adorant
Cur eodem mater non alit vna ſinu?

Nec manui eſt inimica manus, nec pes pedis oſor,
Nemo caput, capitis membra peroſus, amat.
Patribus ad ſynodum pro relligione coactis
Suggere promiſſum ſpiritus auxilium.
Corda fac unanimes, iungant & pectora ciues
Diſperſumque reduc in tua ſepta gregem.
Miſſa fac errantes redeant in ouilia & aeui
In priſca reliquum relligione colant.
Vana ſuperſtitio, morum corruptor abuſus
Haereſis, & toto ſchiſma ſit orbe procul.
Id fuerit caulas aulis ſi paſtor omisſis
Plebs canam repetat relligioſa fidem.
Vulnera noſtra prius nobis quam aliena peroſis
Nam ſua quemque trabes, non aliena premit.
Non aliena nocent, quae non imitere probesue
Coeperit a domini ſi medicina domo.
Si doceat Chriſti, ſi ſponſae dogmata clerus,
Si pietate Deo ſe probet atque gregi.

Si quae deseruit, conscendat pulpita pastor
Nec locet, aut pascat, quas sibi sumsit oues.
Ne nimium emulctas custos alienus in atram
Compellat maciem, langui dulasque fame
E necet, aut succo subducto, & lacte, cruorem
Eliciat, vel quae vendere posiit, emat.
Et mage deglubat teneros, quam tondeat agnos
Et fugiat viso pascua laeta lupo.
Pastor an idolum est, proprios quicumque gregales
Deserit, & quae non conserit arua metit?
Qui male non vna contentus ouilia lana
Quae minus adcurat, non minus ipse vorat?
Aut canis ex gnauo mutusque rapaxque molosso
Ex pastore latro mactat & interimit?
Noxia si monachus quam piscibus arida mutis
Oppida tam norit moribus esse suis.
Sed studeat castis agere alta silentia claustris
Et reliquis patres ritibus exprimere.

Sancte pater, reuerende pater non audiat, annis
Moribus, & studiis & leuitate puer.
Nec puer, aut aliud quod dicere nolo, sinatur
Praeesse, pater neu sit qui pater esse nequit.
Si canibus sanctas aditus claudatur ad aras
Si peda non asini, mulotribaeque gerant:
Nec diuina vorent ignaui aluearia fuci
Nec licitetur emax munera sacra Simon.
Caetèra quis nescit? felicem scilicet optes
Sortiri euentum principio orsa malo.
Iudice saepe malo plebs peior, vtroque sacerdos,
Nil melior monachus, pessima nobilitas.
In foueam caecus caeco duce labitur vnam
Cumque suo pereunt vpilione greges.
Et meliora quidem nobis optanda: quis autem
Scribendum, quidquid contigit, esse neget?
Claude tamen riuos saturis elegeia pratis
Nunc elegos statui scribere, non satyras.

Tu-

Tuque odii expertus toties VERVM esse parentem
De tabula tandem tolle poeta manum.
Hic mihi post nullos praeses memorande patronos
Viue, vale, & Musis perge fauere meis.

ELEGIA II. AD EVNDEM.

RVrsum bella moues, ais, indignatio versum
Vt natura negent ingeniumque, facit.
Et recalescet adhuc armis ciuilibus aestas?
Viribus & patria est iam ruitura suis?
Parisios intra muros peccatur & extra
Interiora vides, exteriora darem,
Si non mira forent, si non immania, si non
Digna magis, quo sunt arma canenda pede.
Non esset tragico tempestas apta cothurno
Non noua, non nullis cognita temporibus,
Si non barbariem, non omnibus acta Scythismum
Bella modis aequant, aut magis exuperant.

Sancte pater, reuerende pater non audiat, annis
Moribus, & ſtudiis & leuitate puer.
Nec puer, aut aliud quod dicere nolo, ſinatur
Praeeſſe, pater neu ſit qui pater eſſe nequit.
Si canibus ſanctas aditus claudatur ad aras
Si peda non aſini, mulotribaeque gerant:
Nec diuina vorent ignaui aluearia fuci;
Nec licitetur emax munera ſacra Simon.
Caetera quis neſcit? felicem ſcilicet optes
Sortiri euentum principio orſa malo.
Iudice ſaepe malo plebs peior, vtroque ſacerdos,
Nil melior monachus, peſſima nobilitas.
In foueam caecus caeco duce labitur vnam
Cumque ſuo pereunt vpilione greges.
Et meliora quidem nobis optanda: quis autem
Scribendum, quidquid contigit, eſſe neget?
Claude tamen riuos ſaturis elegeia pratis
Nunc elegos ſtatui ſcribere, non ſatyras.

Tu-

Tuque odii expertus toties VERVM esse parentem
De tabula tandem tolle poeta manum.
Hic mihi post nullos praeses memorande patronos
Viue, vale, & Musis perge fauere meis.

ELEGIA II. AD EVNDEM.

RVrsum bella moues, ais, indignatio versum
Vt natura negent ingeniumque, facit.
Et recalescet adhuc armis ciuilibus aestas?
Viribus & patria est iam ruitura suis?
Parisios intra muros peccatur & extra
Interiora vides, exteriora darem,
Si non mira forent, si non immania, si non
Digna magis, quo sunt arma canenda pede.
Non esset tragico tempestas apta cothurno
Non noua, non nullis cognita temporibus.
Si non barbariem, non omnibus acta Scythismum
Bella modis aequant, aut magis exuperant.

Maiorum, regum, diuumque refoſſa ſepulcra
Oſſaque cum ſacris eruta reliquiis,
Aeriis partim fiunt ludibria ventis
In rapidas partim proiiciuntur aquas.
Deiectaeque cruces, paſſi memoracula Chriſti
Et ſuperum ſanctis ſigna reuulſa locis.
Cum quibus, aut aris templa exarſere praeuſtis
Aut ſtabula hirſutis foeda fuere feris.
In ſceleratorum quoties ſpelaea latronum
Audimus mandras degeneraſſe ſacras?
Nex violenta licet, lenta, immatura, necandos
Ad clerum & monachos non ſatis vna fuit.
Cur in caede placet caedes? in vulnere vulnus?
Quid ſatis eſſe poteſt, ſi periiſſe parum eſt?
Sunt vbi non viduae ſua iura negata parenti
Non ſuus a puero principe raptus honor?
Perdita libertas, maieſtas laeſa ſenatus,
Vis populo ſemper, ſaepe parata foro.

Com-

Complanata rogo crepitantibus oppida vicis
Deplorata ſuis arua que ruricolis,
Abruptum vectigal, adempta pecunia belli
Neruus, & acciſus cenſus vbique probat.
Forte, quibus fuerit concita procella flabellis
Aut quibus haec buccis claſsica pulſa, petis?
Anne Scythis, Turcis, Titanibus, anne malignis
Et quibus eſſe ferunt cornua daemoniis?
Pacificis, euangelicis, Chriſtique profesſis
Lumen, & afflictis ſe fore rebus opem
Seque reformatos fidei, morumque magiſtros
Chara tibi mater Gallia pollicitis.
Deformata tamen quorum priuata ruinis
Sacrilegaque doles publica rapta manu.
Et vero, Heroi, quem proditione nefanda
Demiſere neci, non habitura parem es.


Seu placuit fines extendere, siue tueri,
Ensis & vmbo tibi, duxque pugilque fuit.
Sed decuit tales pellis vulpina Lysandros
Nempe quibus sat non vna leonis erat.
Aut ad Sisyphias accingi scilicet artes.
Quodque minus poterant robore, posse dolo.
Vt redeam. Superum qui tollit signa, repurgat?
Qui cremat, aut spoliat, siccine templa piat?
At vero haud aliter ciuila bella geruntur,
At feritur CHRISTI siccine relligio?
Quin potius collo est, quam bello parta: nec ense,
Sed cruce creuit ad haec tempora sermo crucis.
Quidquid id est taceo, certum est ciuilia bella
Semper in auctores esse relapsa suos.
Semper in aduersos patriae, Regumque rebelles,
Sera licet, vindex exerit arma Deus.
Sic percussores oppresso Caesare (& annus
Non ierat) sicis se petiere suis.

Non

Non impune ferent, nec ſicca morte peribunt,
Cuncta ſemel tandem ſed glomerata luent.
At latrociniis vtinam non talibus eſſent
Affines aliquot nomine Catholici.
Et ſuus his furor eſt, nimis inſanitur vtrinque,
Conceduntque minus iuris vtrique ſui.
Vt fici incumbunt oculis vitia omnia noſtris,
Quod caput, & vetus eſt huius origo mali:
Stant in praecipiti, nos oppreſſura minantur,
Cumque ſuo in peius tempore quaeque ruunt.
Quae luimus pacis tamen, atque ignobilis oti,
Marte quis ex longo crimina miſſa facit?
Quando minus luxus? morum quo tempore maior
Corruptela? fides frigida quando magis?
Nomen in ore tuum eſt Eccleſia: nomen in ore
Chriſte, tuum: hoc tegimus faſque nefaſque modo.

Proh

Proh ſcelus, huc ventum eſt, noſtris morbiſue ferendis,
Vel medicamentis iam locus eſſe nequit.
Exceſſit medicina modum. Morbum ne leuauit
Qui grauiora medens vulnera fecit iners?
Nunc victi triſtes, nutu DEus omnia verſat,
Quid victis aliud quam dolor eſſe poteſt!
Sed lupus hac vrget, canis hac: diſcrimine multo
Vera, ſed & multo crimine falſa darem.
Rurſum igitur nullo minor o patrone, clientis
Si bene vis Muſas THVTE valere, Vale.



CON-

CONFESSIO DE CORPORIS ET SANGVINIS DOMINICI IN SACROSANCTO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO VERITATE.


O Sacra quae Chriſti referunt conuiuia corpus,
Et faciunt ſanctae nos meminiſſe crucis!
Quae recolunt coenam ſupremae noctis, IESVS
Quando cibum manibus ſe dedit ipſe ſuis!
Sanctificum panem, & coeleſtia cruſtula ſignat
Quod DEus exortum murmure Manna dedit.
Pane beatorum fruitur conuiua viator,
Paſcitur angelico pane ſodalis homo.
Sunt ſuperum humanis indulta viatica, tali
Se DEus atque homines nectare laetificant.
Hac anima ambroſia, digno bene conſcia ritu
Veſcitur, aeternos viuere certa dies.
Signat idem quod tu vinum cum pane litaſti,
Presbyter excelſi Melchiſedeche Dei.

Iſra-

Iſraëligenas hoc pane cibauit eremus,
Delitias eadem Regibus eſca dedit.
Agnus hic eſt, Pharium cuius nece myſticus hoſtem
Liber Erithraeis merſit Hebraeus aquis.
Ille ſaginatus vitulus, quem fratre recepto
Mactatum ſenior filius eſſe dolet:
Cuius alit populum corpus, ſatiatque fidelem,
Non ſine Iudaica nos cruor inuidia.
Miſcuit hoc vinum, miſsis ſapientia ſeruis
Dicere conuiuae, menſa parata tibi eſt.
Dicere conuiuis, agni ſponſaeque iubetur
Regius adfeſtum ſervus adeſſe diem.
Magnificus proprio nos ſympoſiarcha vocatos
Conuiuas recreat ſanguine, carne cibat.
Corporis eſt Chriſti communio, fractio panis,
Sanguinis eſt Chriſti, cui benedico, calix.
Vnus enim panis ſumus, vnum Eccleſia corpus,
Panis participes vnius & calicis.
Daemonis & Domini calicis, nec poſſumus eſſe.
Participes menſae daemonis & Domini.

Mar-

Margaris eſt pedibus non proculcanda ſuillis,
Gemma nec impuro proiicienda cani.
Hic bibitur, cuius prohibet lex ſanguinis eſum,
Sanguinis hic eſt vere potus, & eſca caro.
Hic nos ergo calix praeclarus inebriet, haec nos
Seruet in hoſtiles menſa parata dolos.
Quae noſtro recolunt oblatum nomine corpus,
Et memores fuſi ſanguinis eſſe iubent.
CHRISTE tibi grato da myſtica fercula ritu
Sumere, nec mortis fruge carere tuae.



SAMVELIS RACHELII
CLASSES IMPERATORVM, EX OTIO NOVIOMAGENSI PROMTÆ.

Class. I. Imp. A IVL. CÆSARE AD CONSTANTINVM M.

Iulius, Augustus, Tiberi de flumine dictus.
Cui Caligae nomen fecerunt. Claudius excors.
Tum Nero Galba. Breui fasces qui perdidit Otho.
Æmulus imperii scelerumque Vitellius illum
Excipit. At Flaui renouauit secula virtus.
Hinc Titus. Atque Nero qui quondam dictus es Alter.
Nerua senex. Post hunc Princeps fuit optimus. Artes
Multiplices callens Adrianus. Et Antoninus.
Hunc Pius excepit. Vero comes Antoninus.
Qui pulchrum Sophiae peperit de nomine nomen.

Com-

Commodus horrendum monſtrum. Poſt
Ælius. Vrbem
Didius impleuit vitiis. Quatit arma Se-
uerus.
Hinc Caracalla. Nihil geſſit ſublime Ma-
crinus
Inſequitur Syrii iam cultor Numinis,
orbis
Opprobrium. Melior redit Alter ad ar-
ma Seuerus.
Hunc Thrax ſubſequitur. Socii Pupie-
nus habenas
Balbinusque tenent. Queis mox Gordi-
anus ademit
Sceptra leuesque animas. Arabum de
gente Philippus.
Atque pio Decius fluitans in ſanguine.
Perſa
Ignauo corium detraxit Valleriano
Tu Galiene malis multum vexate Ty-
rannis.
Claudius eulogio decoratus & arte re-
gendi
Vallerius miles ſequitur nunc Aurelia-
nus.
Dein Tacitus. Fortisque Probus. Carus
Sobolesque
Acer & inſignis virtute Diocletianus,
Maximianus ei ſocius fuit. Hinc vaga
Turba

Induperatorum lacerat ciuilibus armis
Imperium, & variam patitur Diadema rapinam.

Classis II. Imp.

A CONSTANTINO MAGNO AD IVSTINIANVM.

Constantinus opem nutantibus attulit orbis
Rebus: & ille Tribus moriens dat lampada Natis
Hesperias duro vexat Magnentius oras
Imperio. Gallus. Magno Iulianus abusus
Ingenio Lachesis Iouiani praesecat annos.
Cumque Valente gerit post sceptra Valentinianus.
His modo succedunt Fratres, huic gratia nomen
Indidit, & Patri cognominis Alter. At illis
Theidosius Magnus: succedit Honorius atque
Arcadius. Gestat post hunc Diadema secundus
Theidosius. Post hos menses de Marte vocati

Prae-

Praecipitat Clotho. Leo Thrax. Tum
Zeno. Deinde
Dicorus. Et terrae Iuſtinus filius olim.

APPENDIX
DE RESIDVIS IMP. OCCIDENTIS
A
VALENTINIANO
VSQVE AD FINEM.

REgibus Heſperiis ſuccedo Valentinianus,
Hunc Socii excipiunt, alter cui gratia nomen.
Fecit & adſcitus collega Valentinianus
Barbaricis ſequitur vexatus Honorius armis.
Tertius hinc tractat iam ſceptra Valentinianus.
Maximus hunc tollit: cui mox ſuccedit Auitus.
Maioranus. Et hinc fata interrupta Seueri.
Poſt hunc Anthemus. Succedit Olybrius. Aufert
Iulius ille Nepos Glyceridae ſceptra. Nepotem
Opprimit infauſto cognomine dictus Oreſtes.

Classis III. Imp.

A

IVSTINIANO

AD

CAROLVM MAGNVM.

IVstinianus amat Leges, & liberat orbem
Barbaricis populis, Iustinus Iunior Illum
Excipit a Tiberi Princeps qui dicitur Alter.
Mauritius. Phocas. Heraclius. Atque Nouercae,
Constantine, tuam qui debes inclyte mortem.
Heracleonas ab hoc. Constans. Tum nomina πώγων
Dat Constantino. Mox Alter Iustinianus.
Bardanus hunc truncat. Artemius inde sequetur.
Theidosius. Leo post succedit Isaurus. At illi
Copronymus. Post hunc Quartus Leo. Constantinus
Filius illius. Sexum quae mente superba
Extulit Irene, Carolo Diadema relinquet.

CLASS. IV. IMP. GERMANICORVM A CAROLO MAGNO AD INTERREGNVM.

GLoria Francorum Carolus cognomine Magnus
Hunc Ludouicus: Et hunc ſequitur Lotharius. Alter
Iam Ludouicus habet: poſt hunc cum vertice Caluo
Imperium Carolus. Ludouicus Tertius heres
Eſt regni. Carolus ſequitur cognomine Craſſus.
Arnolphus. Ludovicus adit iam regia Quartus
Sceptra. Regit patriam Cunradus. At hunc premit Auceps
Henricus. Magnusque Otho. Poſt Otho Secundus.
Tertius Otho. Venit Henricus qui pede Claudus
Cunradus Saliquus. Succedit Tertius Henrich.
Henricus Quartus. Quintus. Lotharius Alter.
Cunradus. Primus Fridericus. Quem modo Sextus.

Henricus ſequitur. Percuſſit Saxo Philippum.
Alter ab hoc ſequitur Fridericus. Praeſule Romae
Imperium exiſtunt Varii turbante Regentes.

CLASSIS V. IMP.

A

RVDOLPHO HABSBVRGENSI

AD

NOSTRA TEMPORA.

REſtituit rem vix Habsburgicus ille Rudolphus.
Naſſouio obſiſtit Albertus Primus. At Henrich
Septimus a Lutzburg exſtinctus pane ſacrato. (Illi
Succedit Quintus Ludouicus Bauarus.
Obiicit Auſtriacus ſeſe Fridericus. At illi
Succesſit Carolus Quartus. Cui Gunther habenas
Inuidit Princeps Schwartzburgicus. Inde Bohemus
Wenceslaus adeſt. Palatina ſtirpe Rupertus.
Marchio Iodocus. Tum Sigismundus. Et alter
Auſtrius Albertus. Fridericus Tertius. Hinc iam

Ma-

Maxmilianus erit Primus. Mox Quin-
tus ab illo.
Carolus. Et frater Fernandus Primus.
At illum
Filius excepit moderatus Maxmilianus
Alter. Tum Princeps Rudolph hac classe
secundus.
Matthias. Frater Fernandus deinde se-
cundus.
Tertius hunc Fernand sequitur. Nunc
nomine Primus
Imperii laxas Leopoldus tractat habe-
nas.

RECENSIO METRICA IMP. SVB QVIBVS QVODQVE SECVLVM COEPIT.

HI sunt qui Christi designant Secula
Reges.
(I.) (II.)
Augustus. Sequitur Traianus. Et inde
(III.)
Seuerus
(IV.)
Septimius. Clorus cum Galerio. No-
tat inde
(V.) (VI.)
Arcadius Quintum. Sextum Anastasius
ille

Dicorus orditur. Primordia dura sequentis
(VII.) (VIII.)
Mauritius Secli dat: Iustinianus at Alter.
(IX.)
Octaui. Nonum Carolus cognomine Magnus
(X.)
Incipit hinc decimum Ludouicus Quar-
(XI.)
tus. At Otho.
Tertius hunc sequitur. Duo de numque
(XII.)
addidit Henrich
Quartus. Terdeni spatii sed secula Quartus.
(XIII.)
Otho dat. Hinc quartum decimum
(XIV.)
Austrius incipit aeuum
Albertus. Decimum quintum Palatinus habebat
(XV.) (XVI.)
Rupertus. Decimum sextum sed Maxmilianus
Primus. Praesentis primordia fausta Secundus.
(XVII.)
Rudolphus dedit: ac illo iam viuimus aevo.

IO.

IO. HENR. ACKERI CARMINA.

CARMEN PRO SPLENDIDO MVNERE ILLVSTRISSIMI DOMINI, DN. NICOLAI BARTHOLOMÆI MICHAELIS, LIBERI BARONIS DE DANCKELMAN, POTENTISSIMI REGIS BORVSSIÆ CONSILIARII STATVS INTIMI ET REGIMINI IN DVCATV MAGDEBVRGICO EMINENTISSIMA DIGNITATE PRÆSIDENTIS FVSVM.

MAxime vir, ter maxime vir, cui rara videbunt
Tempora, viderunt ſimilem vix aurea ſecla,
Laus nomenque TVVM geminas mihi circuit aures,
Concinnatque animum ſcribendis verſibus aptum.
TV, Dominum quem muſa ſuum, quem pindus adorat,
TV facilis praeterque modum bonus vsque fuiſti
Ipſa TIBI placidos finxit ſapientia vultus

Danckelmanniadis fieret ſub nomine nota.
Hos ego nunc vultus, ego cuſtos pauperis horti
Expertus, poſtquam ſermonis fida miniſtra
Et memoranda mihi, laudesque habitura perennes
Dona tulit, fabro multum vigilata perito
Ipſo & Praxitelis ſpecioſo pollice raſa.
Non ſic laetantur fruges, non ſylua nec herbae
Quando deſcendit iucundo plurimus imbri
Iuppiter, ac tanto mea mens nunc munere gaudet.
Exuo nunc pectus curis, furorque labori
Memet, & inſolitis ſucceſſibus ardua rerum
Sperno, ſigna leuans te felix praeſide victor.
Vt, cum praeſtantem formaque animisque viderent
Marcellum, & celſo praeſignem vertice amarent
Statius, aut Fabius ſincera mente clientes,
Huius qui nomen genere & virtute coruſcum

Ad

Ad libros & ad haec musarum dona vocabant. *
At quaeso facilis sis porro, tuereque dextro
Numine, quidquid ago, multos mea tibia versus
Effundet cum facta sonans tum nomina magna
Praecelsi Danckelmanni, quem Iuppiter aequus
Inter honoratos primatum iussit habere.
Viue diu praecelse Virum, da gaudia nobis,
Vt quando Temet multo sinus ambiit ostro
Inde suam possint mea carmina ducere lucem
Et Te fautorem scriptorum cernere talem,
Qualem cognouit dudum super aethera notus
Cellarius noster praeceptor honore colendus.

---

* Quintilianus Victorio Marcello institutiones oratorias inscripsit. Vide & Statium Lib. IV. silvarum ep. 4.

SALA-

SALANA EVSEBIÆ SVPPLEX VIRO SVMMO

IO. FRANCISCO BVDDEO,

FASCES ACADEMICOS SVSCIPIENTE DELINEATA NOMINE AVDITORVM COLLEGII PRIVATISSIMI.

INduit auſpiciis variis ſe cultior orbis
Purpureos habitus Pindus & Aula parat.
Leucopetroſa domus ſpargit diademata mundo
Dum Noſtro thalamos conſtruit arte Duci.
Et Salana, domus Muſarum, cognita mundo
Exultat ſceptris auſpiciisque nouis.
Tu laeto adſpiceris vultu, Vir care iuuentae,
Gloria Salanae conſpicuumque decus.
Halenſem tantis ornaſti faſcibus vrbem
Nunc reduces faſces, munera magna, vides.
Nam ſimilem Te vult titulumque locumque tueri
Inter honoratos ſplendida Iena viros.
Ad Te oculos, aureſque trahis; tua facta notantur
Ad laudem & leges allicis omne Tuas.

Vidi-

Vidimus Eusebien, quae iam ruitura subibat
Pondera, Te tanto constituisse loco.
Iam data Salanae fati malá signa cruenti
Et tenebris cinctum nobile lumen erat.
Mullerus * mitis sensus, pietatis abundans
Non poterat lecto membra leuare suo.
Vexabant corpus febres impune minaces
Instabat vitae finis & imperii.
At Salana graui iamdudum saucia cura
Incepit tantis indoluisse malis.
It poscitque DEum veniam, sacrisque litatis
Non mora, quid veniat, quidue requirat, ait.
O permitte mihi quo sint mea dicere casu
Tu coeli soboles purior Eusebie.
Non ita se nobis praebet fortuna benignam
Sed mala sunt longa multiplicata mora.
Saepe malum nobis memini praedicere Salam
Irato quoties gurgite fudit aquas.

Amnes

* Erat Io. Georg. Muller, prof. poetices celeberrimus.

Amnes ira quidem decuit, ſemperque docebit
Sed Salae flumen lenius vsque fuit.
O Dea, Tu clemens & ſemper parca fuiſti
Poenae, Tu nobis ſceptra diesque dabis.
Nubila diſſoluat Phoebus, praeſentior aether
Sit Pindi votis ominibusque meis.
Dic quis erit tituli tanti ſpecioſus honore
Quem nunc Mullerus non ſine laude tulit
Euſebie cupiens tantas componere curas
Plenaque laetitiae, fidaque verba dedit.
Caſibus explicuit cur tot iactata fuiſſet
Cur clauſum fatis vtilitatis iter?
Commonſtrat placide quo curſu, qua ſit eundum,
Qui ſit laturus ſplendida ſceptra manu.
Tu ſacros agita, ſic fatur, mente triumphos,
Buddei virtus iam Tibi carmen erit.
Numinis illud opus, voti pars optima veſtri
Diſcolor incedit, dux gregis ille tui.
Ille reget dictis animos, quae pectora mulcent
Sceptris inſontes immeritosque teget.

Im-

Improbe volue animo poenas, neruosque timeſce
Hic vitium damnat ſtultitiamque Tuam.
Fortunata Tuis fulgebunt tempora rebus
Hic pro Te gemitus, vota, precesque valent.
Quos non accendet tantarum gloria rerum
Cui non laudandi nominis ardor erit?
Vade age & ingentem factis fer ad aethera laude
Vade age, te tanti praeſidis vrat amor.
Tum Salana: licet mihi nunc intendere carmen
Magnificis titulis, vir pietate grauis.
Adſpice enim quacunque micas, te clara iuuentus
Suſpicit, atque decus praeſidiumque vocat.
Tu felix rector ſurgentibus eſto procellis
Nauigio & nautis ſidera clara feras.
Alma Ceres; quando iam frugibus area trita eſt
Quando diſſiluit preſſa bis vua pede;
Laeta veni, blandisque virum complexa lacertis
Gratas adfer opes, dulcia ſparge mera.
Viue igitur, qui curato iam corpore ponis
Faſces: ſucceſſor qui capis hoſce vale.

QVI-

QVIETEM IN TVRBIS CELEBERRIMIS THEOLOGIS IN AVLA GOTHANA

HENRICO FERGIO,

ET

GOTHOFREDO ROSENTHALIO,

IPSIS CALENDIS IANVARII MDCCV. PRECABAR SEQVENTIBVS.

Exoritur noua lux, anni melioris origo,
Quis non laetitiae plurima ſigna videt?
Cernimus vt caſtas fument pia thura per aras,
Vt pax optatam ducat vbique moram.
Ingrati ceſſant gemitus, moeſtaeque querelae,
Quisquis votiuas concipit ore preces.
Hic alii ciſtas auro, gemmisque repletas
Quidquid & in magnis hic ſolet eſſe, vouet.
Hic alii corpus nulla rubigine laeſum,
Et cui pars ſolidi nulla vigoris abeſt.
Hic titulos optat, magnae & praeconia famae.
Illi, cui flagrans ardor honoris ineſt.
Tandem quisque ſuo geſtit deferre patrono
Munera, queis poſſit conciliare ſibi.

Non

Non mihi Luculli census, non cura patronos
Deuinctos largis reddere muneribus.
Censeri potius cupio candore, fideque
Quae re pro vili, sub pedibus iacent.
Praeterea aes vobis & circum pectora robur,
Vt non delectent vota modesta parum.
Hinc nec diuitias, perituraque gaudia saecli,
Sed precor in turbis quod recreare potest.
Est hoc alma quies, fidei sanctissima proles
Omnia quae vincit praeside tuta Deo.
Non nisi tranquillis se mentibus inserit illa
Deueniens placido mollior aura Deo.
O coelo dilecta domus, postesque beati
In quibus haec regnans aurea sceptra gerit!
Non acies, non ira hominum, non ferra, nec enses
Veram fortunam talibus eripient.
Haec facit, vt subito fugiant simul imber & vmbrae
Quas nobis Satanae turba maligna ciet.
Haec facit, vt valeant humeri perferre labores,
Euentuque illos candidiore beat.

Non timet inuidiam, nec verbis laesa remordet,
Commendans iusto facta superba Deo.
Si diuturna lues nostros exederit artus,
Hinc venit & tantis certa medela malis
Contrahit haec vento turgentia vela secundo,
Rebus in aduersis laeta perinde suis.
Haecce quies tandem nullos vitianda per annos
Sanat, quae secum panda senecta vehit.
Vtque viret laurus semper, nec fronde caduca
Carpitur: aeternum sic habet illa decus.
Haec igitur vobis sit duxque comesque laborum,
Lucida quos constans vexit ad astra fides.
Dulcia pectoribus Vestris solamina praestet,
In Vestris tectis certa tenaxque manens.
Sit quoque praesidio cum turma nefanda Theonis
Horrida mordaci proelia dente mouet.
Hac partas inter sit dulce senescere laudes,
Gaudeat hac animus sufficiatque malis.

Haec vobis molles agat in praecordia
somnos,
Adflatuque iuuet corpora fessa suo.
Sicque meis per Vos accedet gloria coe-
ptis,
Sic erit ingenio fama benigna meo.

CARMEN SVMMIS IN IVRE ET PHILOSOPHIA HONORIBVS EXQVISITISSIMI VIRI BVRCARDI GOTTHELFF STRVVII CONSECRATVM.

SÆpe Vir exigua doctrinae lumen ha-
betur
Externus fallit lumina quando color.
Sed sapiens illum tali dignatur honore
Qui viuens dici bibliotheca potest.
Qui vigiles oculos Graias Latiasque per
artes
Praestantesque alias non sine laude
tulit.
Non etenim doctae Latium nec Graecia
menti
Sufficit; ingenium discere cuncta cu-
pit.
Bibliotheca patet ceu publica tempore
certo
Discendi cupidis inspicienda viris.

Sic commune bonum vir doctior instruit omnes,
Nec raras dotes occulit ingenii.
Monstrat iter, lucemque facit, quo blandius aurum
Doctrinae, tantis promicet ex tenebris.
Bibliothecae sunt mentis medicamina dictae
Hoc titulo magnus Rex decorauit eas.
Bibliotheca quibus non est medicina dolorum
Quae studet excultae pandere mentis opes.
Hic artes omnes libri sunt unius instar
Ignea vis linguae quas aperire potest.
Bibliotheca fuit talis vir Blotius * ingens
Fortia verbosi natus ad arma fori.
Artibus & linguis toti celeberrimus orbi
Ingenio mundum clauserat ille suo.
De magno Genitore Tuo par dicere fas est
Qui Germanorum gloria prima fuit.
Qui tot dignus erat viuendo vincere secla
Quot doctrinarum fructibus auctus erat.

Ipsa

* Vid. Petri Lambecii Comment. de biblioth. Caes. Vindobonensi Lib. 1. Segm. 41. vsque ad 54. Fol. 39.

Ipſa mihi virtus, ipſa & ſapientia mandant
Scribere, quod fuerit bibliotheca ſibi.
De Te quid vero dicam, celeberrime Struui, (hi?
Nonne vocandus eris bibliotheca mi-
Omnia mirandum! complexus mente capaci
Quae iurisprudens hiſtoricusque docent.
Te matura ſenex, iuuenis Te priſca loquentem
Audit & elogio comprobat omne ſuo.
Dogmata ſunt veluti mellis coeleſtia dona
Scripta ſcatent dulci nectare & ambroſia.
Hinc amor, hinc veris & non fallacibus ornant
Laudibus & fundunt optima vota TIBI.
Hinc pretium curae vigilatorumque laborum
Hallenſes gaudent perſoluiſſe TIBI.
Hinc tua proſequimur ſtudioſo pectore, Struui,
Nomina, per titulos ingredimurque novos.
Gratulor ex animo Struui Doctoris honores
Inter devinctos pars ego parua TIBI.

Vtque TIBI patrio flammatur purpura vultu
Sic caput atque humeros purpura condecoret.
Inuidiam adverſus coelum Te muniat omnem,
Quae variis frangit fortia facta modis.
Sic pede inoffenſo procurrent tempora vitae
Hic inter libros Pieridasque TVAS.
Sic poterit ſtudiis porro florere iuuenta
Quando viua velut bibliotheca pates.

PROPEMPTICVM
AD
GENEROSISSIMVM IVVENEM
IO. GEORG. DE SEVDEWIZ,
EQVITEM VARISCVM
FERACI VVARVM AVCTVMNO
ATHENAS SALANAS
SVMMA CVM LAVDE ADEVNTEM.

FLOS IVVENVM, proauita cui ſunt nomina laudi
Iam neque TE rupes retinent lucique ſonantes
Iam neque Parnaſſi iuga dulcia, iam neque Muſae
Vlla moram faciunt, mentem mutare nec (ipſe
Praeſes Apollo poteſt, viridi qui traxit ab aeuo.

Non

Non Te vincit amor, cum nos cedamus amori?
Atque amor ille Tui tantum nunc crefcat in horas
Quantum vere nouo viridis fe fubiicit vlnus.
Certum eft & lauros humilesque dolere (myricas
Queis TVA tam teneros virtus incidit amores,
Certum eft cuftodes noftri gregis, atque magiftros
Malle alios quam Te noftro dimittere ludo.
Ipfe meos inter tales nunc mifceo que- (ftus,
Plurima qui noui manifefti figna fauoris
Non abitura meo cordi, dum vixero mu-fis.
Multa mihi virtus animo, multusque re- (curfat
Mentis honos, haerent fixae fub pectore dotes.
Cura impenfa bonis ftudiis, mens imme- (mor oti,
Romani latices, & larga fluenta fuadae
Candor, quem merito vel iniquus liuor amarit
Dextraque promisfis femper firmisfima (rebus.
Caetera quid memorem fauftis penetra-libus haufta
Beulwizii? cuius fublimes fufpicis or- (tus
Cuius virtutes, meritis nomenque co-rufcum,
Cantantes excelfa ferent ad fidera cygni,

Pene ſimul tecum quae tolli ſingula
cerno. (voluto
Sed quando fatum tacitus mecum ipſe
Deſino plura: breui ſpatio nos ibimus
omnes (hiatu
Ibimus, hos poſcet pallens auctumnus
Imbrifero, tollent hos ora rigentia bru-
mae, (herbis
Hos ver purpureum ſpargens florentibus
Terram, hos implacido deducet Sirius
aeſtu. (rentes,
Ito igitur TE fata vocant, ſummique pa-
Dum meſſem indicit maturae vinitor
vuae
Et cape ſupremum votum ceu munus a-
mantis. (vuae
Vitis vt arboribus decori eſt, vt vitibus
Sic decus omne ſies domui gentique ve-
tuſtae. (auſtri
Viribus haud noceat venientis ſibilus
Semita nec teneras vnquam ſecet aſpera
plantas, (que
Coeleſtes genii Te concomitentur vbi-
Nec manus officiat telis inſtructa cruen-
tis (amaris.
Linguaque conuitiis inceſſens nomen
Haec pro te faciam ſollemnia vota quot
annis
Sed TV conſtanti memet dignare fa-
uore.

❧ (o) ❧

